

Antoni Cobos Fajardo (ed.), Joan Ramon Ferrer, *De pronomibus suiue natura* (1477), Bellaterra, Publicacions de la Universitat Autònoma de Barcelona (Microfitxa), 2000.

CIII. De interdico.

[1] 220. *Interdico*, -cis, -xi, -ctum actiuum, prohibere, interim dicere secundum *Compraensorium*. *Interdictum* uero secundum *Catholicon* ab *interdico* deriuatur, quasi interim dictum, scilicet quod interim anuntiatur a iudice, non quod in perpetuum maneat, nisi quamdiu dictum et statutum sit a iudice. (2) Notandum in generali interdicio ab ecclesia conferri potest. Et semel in mense uel septimana populum interdictum et etiam excommunicatum ad aliquam ecclesiasticam conuocare, et eis praedicare et uere poenitentibus in morte eucharistiam dare. Praetera permittitur clericos decedentes, qui bene seruauerunt interdictum, in ecclesiae cimeterio sine campanarum pulsatione, cesantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulari. (3) Item conceditur in ecclesiis binos et binos uel ternos simul horas canonicas legere potius quam cantare, et hoc ianuis clausis, interdictis excommunicatisque exclusis, cum uoce ita summissa quod exterius audiri non possint, ex quo palam est interdictos, et multo magis excommunicatos, horas canonicas auscultare non debere. Quod etiam aliis peregrinis signum crucis ob Christi reuerentiam suscipientibus, non est deneganda praesentia. (4) Tandem extrema unctio alicui laico seu clerico seu etiam religioso in loco generali interdico supposito administrari non debet, nisi super hoc speciale priuilegium haberetur.

[2] De materia uero interdicti et quae prohibebantur et permittantur tempore interdicti nota glosam notabilem in *C. Non est, De spon. et De sen., ex. in C. De sponso et C. Permittimus, et De poeni. et re., C. Quod in te*, per doc. (cf. Greg IX *Decr.* 4, 1, 11; 5, 39, 43; 5, 39, 57; 5, 38, 11). In quo quidem *C. Quod in te*, in principio columnae finalis, § 2^o *quaera*, et cetera, quaerit Dominus Abbas quid de mulieribus partui aporinquantibus, nunquid decedere uelle dicantur, ita quod tempore interdicti uaticum eis concedi possit. (2) Ioannes Andreas refert alios in facto dubitasse saepenumero, sed ei placet ut *decedere* non dicatur, sed domino Abatti placet ut mulieris qualitas et eius consuetudo pensentur, ut is uerisimiliter de morte dubitetur, tunc huius canonis indulgentiae locus sit, alias secum. (3) Idem quasi concludit Ioannes Calderinus, in dicto *C. Quod in te*, et eius filius in tractatu *De ecclesiastico interdicta*, in VI membro, § *Sed an mulieribus*, ubi concludit quod si aliud periculum non immineat abstinendum est. Idem per omnia putat de intransitiuis *mare et bellum campestre* uel *obsessis*, et facit quot nota. *De off. ori. Pastoralis* secundae responsio, in glosa *quo casu*.

[3] In dicto quidem *C., Quod in te* (Greg. IX *Decr.* 5, 38, 11), Dominus Abbas consequenter quaerit nunquid interdicti tempore clericis exhibenda sit extrema unctio, doctores quod non, tenent communiter, licet quidam in facto non aduertant. Posthac quaerit nunquid priuilegium clericis circa sepulturam concessum locum habeat in ecclesia specialiter interdicta. (2) Demum in fine dicit licet interdicti tempore laicis sepultura denegetur ecclesiastica, tamen relaxato interdicto, hi qui culpabiles non fuerunt uel in quibus in morte contritionis apparuerunt signa, si extra cimenterium fuerunt sepulti, relaxato interdicto, exhumari et de nouo in cimenterio sepeliri potuerunt. *Ar. C. A nobis, De sen. ex.*, et hoc tenet Innocentius in Canone finali, *De excesser. prael.*, et Ioannes Andreas in dicto Canone *Quod in te* confirmat, quos Dominus Abbas ibi sequitur (cf. Greg. IX *Decr.* 5, 39, 21; 5, 31, 18). (3) Item interdicti sententia in persona nedum in locum ferri potest, et haec est inter excommunicationem et interdictum differentia, siquidem excommunicatio sacramentorum participatione et hominum communione priuat, ut in *C. A nobis, De excesser. prael.*, sed interdictum duntaxat sacramentorum participatione priuat, ut in *C. Dilectus*, eodem titulo, et ibi Dominus Abbas in 3^o nota notabili. (4) Quid autem sententia interdicti in personam operetur dic, ut in *C. Is Cui, De sen. ex.*, libro VI^o, et facit *C. Sacro*, eodem titulo, Dominus Abbas in fine columnae primae, in *C. Transmissam, De elect.*, qui in *C. Sane quis, De offi. dele.*, in columna secunda, quaerit nunquid indistincte ciuitas, cui praeest episcopus, seu diocesis sua propter factum episcopi interdicto subici possit (cf. Bon. VI *Decr.* 5, 11, 20; Greg. IX *Decr.* 5, 39, 48; 1, 6, 15). (5) Idem in *C. Reprehensibile, De appella.*, notabili primo notata quod sententia interdicti nunquam ab homine ferenda est, nisi canonica admonitione praemissa, et pro contumacia, ut excommunicationis suspensionisque sententia, ut in *C. I, De sen. ex.*, libro VI, et in scriptis ferri debet, ut ibi (cf. Greg. IX *Decr.* 1, 29, 11; 2, 28, 26). (6) Sed limita textum cum praedictis secundum praeclarum Innocentii dictum

in *C. I, De excesser. praela.*, quod communiter allegari non solet, ut respectu suspensionis homine seu a iudice faciendae textus iste procedat monitionem requirens, secus si in delicti poenam fiat. Tunc enim non fieret monitio, cum eum delicti commissi poenam luere oporteret, nam propter delictum saepe fit suspensio, *VI quaestio, III In loco* (cf. *ibid.* 5, 31, 1; Grat. *C. 5, q. 4, c. 3*). (7) Secus in excommunicatione, quia haec nunquam fertur ab homine ob delictum, et quamcito uult quis illud satis facere, relaxari debet, *XI quaestio III, Nema In C. Ad haec*, in *V^o De appella.*, casus est, quod interdicti sententia per appellationem sequentem non suspenditur (cf. *ibid.* *C. 11, q. 3; c. 31; Greg. IX Decr. 2, 28, 6*). (8) Et hic Dominus Abbas notabili primo notat interdictum instar excommunicationis per appellationem sequentem non suspendi, sed limitat quod ad interdictum a diuinis officiis et sic a spiritualibus, secus si fiat a temporalibus interdictum. (9) Nam si uideretur mihi ingressum alicuius pomerii interdiceret, appellando ab eos sententiae effectum suspendo, *Ar. in l. Non tantum, ff.*, eodem titulo (cf. *D. 49, 1, 6*). Idem dic in suspensione a beneficio, et de hoc glosam notabilem menti tenendam, in *C. Is cui, De sen. ex.*, libro VI^o, uide (cf. *Bon. VI Decr. 5, 11, 20*). (10) Et harum sententiarum rationem in *C. Pastoralis I* eodem dominus Abbas ait, et tex hoc infert quod suspensus a pontificalibus uel ab usu pallii sententiam appellando suspendit. Quod hic sentit Innocentius et facit, quod idem Innocentius in *C. I, De sen. ex.*, libro VI, notat (cf. *Bon. VI Decr. 5, 11, 1*). (11) Deinde circa medium columnae secundae, § *Circa*, dominus Abbas duas quaestiones ponit. Prima est nunquid episcopus, durante interdicti sententia, eius effectum possit suspendere, ut sic sine peccato celebrare possit, et intellige quando interdictum a se latum est, nam si a superiore latum esset, indubie non posset. *Ar. C. Pastoralis, § Praeterea, De ofi. Or* (Greg. IX *Decr.*, 1, 31, 11). (12) 2^a quaestio est utrum suspensione facta praesupposito quod possit suspendere effectus ipsius per appellationem medio tempore interiectam quam ipsius suspendentis uoluntatem suspendatur, et sic usque ad finem causae duret suspensio, ac si a principio fuisset sub condicione lata. (13) Insuper idem dominus Abbas in *C. Tantam, De excesser. praela.*, circa medium columnae penultima, § *In glosa*, in uersiculo *Irritos*, et cetera (*ibid.*, 5, 31, 18), dicit quod conclusio glosae stat in hoc, quod uiolans interdictum irregularis est, et ab omni officio, beneficio iurisdictioneque suspensus. (14) Deinde subiicit quod tria uidenda sunt, ut tota materia teneatur: primum nunquid loco interdicto personae interdictae censeatur, et concludit quod non directe, sed illius loci respectu duntaxat. Vnde si interdiceretur haec ciuitas et non personae, clerici ciuitatis in aliis locis licite celebrare possunt. (15) Secundum est de poena uiolantis interdictum, et concludit quod celebrans in loco interdicto uel si persona fuerit interdicta et celebret, irregularitatem incurrat, a qua per solum Papam liberari possit, ut in *C. Is qui, § Is uero, De sen. ex.*, libro VI (*ibid.*, 5, 31, 13), et etiam ab omni clauium potestate officioque suspensus. (16) Tertium est quando quis dicitur uiolare interdictum, et quando irregularitatem incurrit, et est post Innocentium doctoresque conclusio, ut quando quis aliquid alicui ordinis ecclesiastico deputatum exercere, et hoc tanquam clericus facit, quod procedit, presbiter uel clericus sit inferior, ut et in *C. II, De de. Exco* (*ibid.*, 5, 27, 2). (17) IIII, dominus Abbas, post medium columnae finalis dicit quod interdicti tempore iurisdictionalia non interdicta sunt nec excommunicationem exercens irregularis efficitur. Idem si sunt quaedam certo non deputate ordini uel si deputata sunt, tamen ex consuetudine per quencunque exercentur. Refertur ergo interdictum ad spiritalia exercitium et ad quaedam alia, de quibus in *C. Non est, De spon. et C. Quod in te, De poenit. et remissi.*, et ad *C. finalem, De sen. ex.*, libro VI (cf. *ibid.*, 4, 1, 11; 5, 38, 11; *Bon. VI Decr.*, 5, 11, 24; *Greg. IX Decr.*, 5, 33, 1). (18) Sed circa praedicta dubitatur quid de audiente diuina? Conclude post doctores, maxime Hostiensem, quod aut diuina ex quadam deuotione audit, et iste irregularis non est, aut diuina auctorizando audit, ut quia praelatus celebrare praecepit, et tunc irregularis non est, aut diuina auctorizando audit, ut quia praelatus celebrare praecepit, et tunc irregularis efficitur, quippe iste se diuinis ingerit et uiolat interdictum. (19) Et hoc uersiculo innuit *Bene uiolauit*, et cetera, de quo bonam glosam uide in *De archiepiscopo, De priuil.*: «Caueat ergo praelatus tempore excommunicationis, suspensionis uel interdicti, ne coram se faciat celebrari aut celebrationi intersit, quippecum tunc auctorizare uideatur». (20) Nec omittatur quod Innocentius in *C., Vt priuilegia, De priuil.* (Greg. IX *Decr.* 5, 33, 24), dicit esse differentiam an interdicatur locus, et tunc interdictum suspendi potest, et ibi de superioris licentia celebrari, sed interdictum in personam latum suspendi nequit. Ratio est quia aut persona poenitet, et in totum relaxari debet, aut non poenitet, et tunc non debet celebrare, ex quo in peccato uiuit. Secus est in loco, quia locus non delinquit. (21) Et ob hanc rationem dicit Innocentius quod si interdictum in personam propter delictum alterius latum esset, puta propter dominum terrae, tunc interdictum in personam latum suspendi posset, quia ratio praecedens cessat. Hoc dominus Abbas

hic post columnae penultima confirmat principium. (22) An autem sicui nobili priuilegium sit concessum, ut diuina interdicti tempore audire possit, familiares secum ualeat ducere, dic secundum Dominum Abbatem in *C. Quod non nullis, De priuil.*, quod sic, alias priuilegium ei foret inutile. De familiaribus domesticis in *C. Licet, § I*, eodem titulo, libro VI, casus est (ibid. 5, 33, 25; Bon. VI Decr. 5, 7, 11). (23) Tandem dominus Abbas in *C. Cum in partibus, De uer. sig.*, dicit (Greg. IX Decr. 5, 40, 17): «Generale dicitur interdictum, quod in ciuitatem, uicum uel arcem seu castrum fertur, nedum in prouincia». Hic primo ex textu notat, quod particulare dicitur interdictum quando una ecclesia uel plures specificice et non sub uniuersitatis nomine interdicantur. Generale uerum est quando uniuersitas loci unius interdicatur. (24) Idem in fine dicit quod interdicti sententia non stricte sed large interpretari debet, quia ad animae correctionem uenit, et in concernentibus animae periculum securior facienda est interpretatio, in *C. unico, De Scurt.* (ibid. 1, 12, 1), bonam glosam uide.

[4] Et inter haec praeallegata loca huiusmodi interdicti materia per canonistas tractatur plenissime. Hoc autem uulgo *ecclesiasticum* appellatur, de quo Ioannes Calderini specialem sed copiosum tractatum facit, quem in VII partes diuidit. Prima quid nomine interdicti ueniat, secunda de eius speciebus, tertia a quo ualeat promulgari, quarta qualiter et ex qua proferatur causa, quinta contra quem, sexta de ipsius effectu, septima qualiter tollatur. (2) Ad primam dicit quod aliter nomen interdicti accipitur cum de ciuilibus interdictis siue actionibus, quae pro eis exercentur, sermo fit, ut *De interdicti. insti. ff.*, et *C. Est perspicuum*, et *De causa poss. et proprieta., Pastoralis, de Resti, spo., C. Item cum quis*, et *C. Cum ad sedem cum simi* (cf. D. 43, 1; I. 4, 15; C. 8, 1; Greg. IX Decr. 2, 13, 6; 2, 13, 15). (3) Tamen hoc interdicti nomen prohibitionem notat, quod proprie alludit uocabulo, ut *Insti. De interdictis, § Sunt tamen, XVII, Questio IIII, miror, XXVIII, Questio I*, sic enim *De offi. archidi.* significati. Hoc autem in *C. Cum illorum*, ibi: «Quibus est absolutum talium interdicta et maiora intelligantur illis prohibita», *De sen. ex.*, est expressum. Vnde rubrica *De matri* contra prohibitionem, tum in tribus decretis, eodem titulo, referatur (ibid. 1, 23; 5, 39, 32; D. 48, 22, 7). (4) *Interdictum* igitur et *prohibitio* idem significant, nominaue sunt synonyma. Hoc liquet *ff. De interd. et relegat., l. Relegatorum, § Dubitatum*, et § sequenti. Cum autem interdictum dicantur ecclesiasticum, hic ecclesiastica large sumpto uocabulo diuina officia sacramentaue dicuntur, *De spon. non est nobis*. (5) Est autem interdictum ecclesiasticum siue diuinorum suspensio ecclesiasticae censurae a diuinis officiis et ecclesiasticis sacramentis actiue et passiue, in qua descriptione suspensio loco generis ponitur, quare haec est uera, quod per ecclesiasticum interdictum suspensio siue prohibitio indicatur. (6) Nec abs re dictum est quod loco generis ponatur suspensio, nam multae sunt suspensionum species *XXXII distinctionis, Interdixit, De elect.*, quia propter § *Illud autem penitus interdicimus, De offi., archidi. Mandamus* et item *C. Significati, Ne de. uel mona., C. I*, libro VI, quae quidem iura uerbo interdicti utuntur. Verbo autem simili, puta prohibitionis, distinctione LI, LIIII, LVIII, LX, quasi per totum. *Ne de. uel mona., C. Clericis* et *C. Sententiam, De cens., Prohibemus*, et eodem titulo, *C. Felicis* et *C. sequenti*, libro VI, *De hereti., Vt inquisitio, § Prohibemus, De relig. domi., C. unico*, capitulo *Non debet*, cum multis aliis similibus innumeris ad rem ipsam faciunt (cf. Grat. 32, 16; Greg. IX Decr. 1, 23, 6; 1, 23, 8; 3, 50; 9; 3, 39, 7; Bon. VI Decr. 5, 9, 5-6; 5, 2, 18; 3, 17, 1). (7) Hoc autem quod dictum est rubrica *De de. exco.* deposito uel interdicto uidetur inuenire, non enim specialiter de suspenso dixit, quia excommunicatus, depositus et interdictus suspensi sunt, sed non econtrario. (8) Item secundum grammaticos haec praepositio *inter* est mediatiua uel suspensiuua temporis, ordinis uel alicuius actus. Vnde aliqua potentia actu suspenditur, quae habitu retinetur, *XV, Questio VI, C. penultimo* et *ultimo, De rescript. pastoralis*, in fine, *De concess. praeben., Quia diuersitatem* et *C. De curat. furi*, lege penultima, *cum simi.*, quod quidem recte per interdictum inducitur. Interdictum ergo bene uocatur suspensio (cf. Grat. C. 15, q. 6, c. 5; Greg. IX Decr. 1, 3, 14; 3, 8, 5; C. 5, 70, 8). (9) Sequitur quod in descriptione censurae ecclesiasticae ponitur. Censurae uero ecclesiasticae nomine interdictum, excommunicatio et suspensio continentur, *De uerb. sig., Quaerenti* (Greg. IX Decr. 5, 40, 20), ex quo sequitur haec tria diuersarum specierum esse. Non officit, quod dictum est, interdictum esse suspensum, sicut depositus et excommunicatus est, quadere suspensio dupliciter sumitur, scilicet ut genus et tunc de antedictis praedicatur, interdum ut species ab aliis differens, ut in *D. C. quaerenti*. (10) Quorum autem tria praedicta sint diuersa probatur. Etiam *De elect. transmissam, De appella.* Praeterea in 2^o *De reli. domi.* cum dilectus, *De de. ex. mi. latores, De excesser. praela., C. unico*, libro VI, *Quod me. causa, C. unico, De appella. Romana*, § penultimo, libro VI^o cum multis aliis (cf. Bon. VI Decr. 2, 15; Greg. IX Decr. 3, 36, 8; Bon. VI Decr. 5, 6, 1; 1, 16, 1). (11) Et in non nullis locis excommunicatio interdictumque ponuntur, ut diuersa *De offi. del., C. P. et G., De offi. or. C. Cum ab ecclesiarum, De appella.* Ad haec quoniam cum multis

aliis. Alibi uero suspensio et interdictum, *De offi. or. congrue, De offi. dele., C. II, libro VI^o, De sen. ex.* quia periculosum *C. Libro* (cf. *ibid.* 1, 14, 14; Greg. IX *Decr.* 1, 31, 3; 1, 30, 2; Bon. VI *Decr.* 5, 11, 4). (12) De excommunicatione uero et suspensione quod species diuersae sint, *De do. et contu.*, in *C. Veritatis*, in fine, et *De appella. Reprensibilis*, in principio, *De usur. Praeterea, De Priui. C. Tuarum* et in *Cle. De hereti.*, multorum ad finem exprimitur (cf. Greg. IX *Decr.* 2, 14, 8; 2, 28, 26; 5, 33, 11; Clem. 5, 3). (13) Licet autem ex praedictis iuribus multas conuenientias differentiasque inter praedicta tria diligens indagator poterit inuenire, tamen non omittas quod Hostiensis in *C. Cum medicinalis, De sen. ex.*, libro VI, circa praedicta notat (Bon. VI *Decr.* 5, 11, 1). (14) Quae Ioannes Calderini in eo tractatu refert, in capitulo seu membro primo breuissime, qui in membro 6^o, uerba illa *a diuinis officiis et ecclesiasticis sacramentis* declarat amplissime: «Actiue uero intellige a celebratione diuinorum et collocatione sacramentorum, *De sen. ex. alma*, § I, libro VI. Passiue, id est audiente uel perceptione praedictorum, *De sententia ex., Si sententia*, libro VI^o. Auditio tamen secundum philosophos actioni et passioni diuersis respectibus adaptari potest, de quo quodam propositum non est curandum». (15) Species uero interdicti ecclesiastici siue diuinorum secundum ipsum Ioannem de Calderini, in 12 membro dupliciter sumi possunt: uno modo patientis respectu, secundo respectu modi in probatione seruati. Secundum primum modum duae sunt species: interdictum enim in personam et in locum promulgatur. *De sen. ex. C. Si sententia*, libro VI, et multa iura alia superius allegata sunt (*ibid.* 5, 11, 24; 5, 11, 16). (16) In personam, quando sub nomine proprio uel circumlocutionibus, quae proprii nominis uim habeant, promulgatur, *De appella. Praeterea* in 2^o *De priui. Cum et plantare, De appella., C. Romana*, § penultimo, libro VI, et in *Cle., De sepul. C. Eos qui*. Quandoque promulgatur interdictum sub nomine appellatio populii communis uel uniuersitatis, ut in *d. C. Si sententia*, § ultimo. *De iniur. et damno da. C. Et si pignoraciones*, libro VI (cf. Greg. IX *Decr.* 5, 33, 3; VI 2, 15, 3; Clem. 3, 7, 1; Bon. VI *Decr.* 5, 8, 1). (17) Interdictum uero in locum dupliciter promulgatur, uno modo generaliter, scilicet cum regnum, prouincia, ciuitas, castrum uel castellum seu uicus supponitur interdicto, *De uer. sig. Cum in partibus, De conue. cum inter., De priuil. petitis, De elect., Vbi magis, § Ciuitas, De pe. felicitis*, § ultimo, libro VI, et in *Cle. De pe. siquis suadente, § Ciuitas* (Greg. IX *Decr.* 5, 40, 17; Bon. VI *Decr.* 5, 9, 1; Clem. 5, 8, 1). (18) Secundo specialiter, puta in aliqua ecclesia, et hoc cum interdictum fit a iure propter iniuriosum homicidium in ea perpetratum uel iniuriosum sanguinem in ea effusum uel si per humani seminis effusionem sit polluta. Tunc enim specialiter interdicta est, ita quod ante reconciliationem in ea diuina officia celebrari non debent, *De conse. di. I, Si motum et C. unico*, libro VI^o, Si tamen confiat, celebrans, licet peccet, irregularitatem non incurrit. *De sen. ex. is qui primae responsio*, eodem titulo (Grat. 1, 19; Bon. VI *Decr.* 5, 11, 18). (19) Sic propter patronorum discordiam episcopus hostia claudit ecclesiae, tollit inde reliquias, praecipitque ut nullus in ea aliquo modo sacrum ministerium celebret, donec patroni redeant ad concordiam, *De iure. pat., C. I et II* (Greg. IX *Decr.* 3, 38, 1-2). (20) Sunt et alii casus in quibus de iure in ecclesia celebrari non debet, puta si ecclesia fuerit simoniace consecrata, *De conse. di. I, Siquis basilicam*. Item si ecclesia sine diocesanii licentia constructa sit, *De conse. di. I, Praecepta, II q. VIII, Lator*. Item si sine reliquis uel in loco deserto et nunquam habitato dedicata fuit, *De conse. di. I Placuit* (cf. Grat. *De conse.* 1, 10; 1, 5; *id. C. 2, q. 7, c. 44*; Grat. *De conse.* 1, 26). (21) Sed in his quinque casibus, ut in praecedenti dicas, quod licet de iure celebrari non debeat, tamen celebrantes non sunt irregulares, quia non est in iure expressum, ut dicto *C. Is qui*. Putat tamen dominus Calderinus quod si episcopus propter aliquam causam ex praedictis specialiter in ecclesia interdictum ponat, post celebrans in ea irregularis est. Fac *De priuil. tuarum* et quod ibi, in glosa II notat. (22) Postquam de speciebus interdicti respectu modi in prolatione seruati dicatur, sciendum est quod interdum interdictur locus sub appellatione regni, prouinciae, ciuitatis, arcis, castelli seu uici, id est castrum uel uillae, *De uer. sig. Cum in partibus*. Interdum terrae *De postu. prael., C. I, De offi. dele., C. Sane, II De uir. iur.*, ex rescripto. Interdum loci cuiusuis denotationis, ut *De priui. episcoporum*, libro VI, *De sen. ex. praesenti*, eodem libro, quibus casibus ipsius loci suburbia et continentes domus intelliguntur interdictae, *De sen. ex. Si ciuitas*, libro VI. An et quando urbis uel ciuitatis appellatio suburbia uel continentia includat aedificia, *l. II, De uer. signi*. Nota (cf. Greg. IX *Decr.* 5, 40, 17; 1, 5, 1; 1, 29, 11; Bon. VI *Decr.* 5, 7, 8; 5, 11, 10; 5, 11, 17; 5, 12, 2). (23) Et in hoc secundo membro multas pulchras quaestiones ab ipso Ioanne de Calderini decisas etiamque in aliis membris inuenies, quas hic propter nimiam prolixitatem uitandam praetereo, cum forte hac re iam nimius fuerim.

[5] De interdicto ecclesiastico satis sit, deinceps de ciuili dicetur, ad cuius generalem noticiam non nulli praeclari textus in medium adducentur. Imperator igitur *Insti. De interdictis*, in principio sic ait (I. 4, 15, 1-ss.): «Sequitur ut despiciamus de interdictis siue de actionibus quae pro his exercentur. Erant

interdicta formae atque conceptiones uerborum, quibus praetor aut iubebat aliquid fieri aut fieri prohibebat. Quod tunc maxime faciebat, cum de possessione aut quasi de possessione inter aliquos contendebatur.

»[6] Summa autem diuisio interdictorum haec est: quod prohibitoria sunt aut restitutoria aut exhibitoria.

»[7] Prohibitoria sunt quibus uetat aliquid fieri, ueluti cum praetor uetat facere uim sine uicio possidenti uel mortuum inferenti, quo ei ius erit inferri, uel in loco sacro aedificari, uel in flumine publico ripae eius aliquid fieri, quo peius nauigetur.

»[8] Restitutoria sunt quibus restitui aliquid praetor iubet, ueluti cum possessori bonorum possessionem eorum quae quis pro herede aut pro possessore possidet ex ea hereditate, aut cum iubet ei qui ui deponere fundi deiectus sit, restituit possessionem.

»[9] Exhibitoria sunt per quae iubet exhiberi, ueluti eum cuius de libertate agitur, aut libertum cui patronus operas indicere uelit, aut cum parenti liberos eius qui in potestate eius sunt. Sunt tamen qui putant interdicta proprie ea uocari quae prohibitoria sunt, quia interdicere est denunciare et prohibere. Restitutoria autem et exhibitoria proprie decreta uocari. Sed tamen obtinuit omnia appellari interdicta, quia inter duos dicuntur.

»[10] Sequens diuisio interdictorum haec est, quod quaedam adipiscendae possessioni causa comparata sunt, quaedam retinendae quaedam recuperandae». Deinde imperator omnes has species persequitur. Ulpianus autem in *l. I*, in principio, *ff. De interdic.*, sic ait (D. 43, 1, 1-s.): «Nunc uideamus de quibus interdicta competunt.

»[11] Et sciendum est interdicta de diuinis rebus aut de humanis competere. De diuinis ut de locis sacris uel de locis religiosis. De rebus hominum interdicta redduntur aut de his quae sunt alicuius aut de his quae nullius sunt. Quae nullius sunt, haec sunt liberae personae, de quibus exhibendis et deducendis interdicta competunt. Quae sunt alicuius, haec sunt aut publica aut singulorum. Publica de locis publicis, de uis deque fuminibus publicis. Quae autem singulorum sunt, aut ad uniuersitatem pertinent, ut interdictum quorum bonorum aut ad singulas res, ut est interdictum uti possidetis, de itinere actiue.

»[12] Interdictorum autem tres species sunt: exhibitoria, prohibitoria, restitutoria. Sunt tamen quaedam interdicta mixta, quae et prohibitoria sunt et exhibitoria.

»[13] Interdictorum quaedam in praesens, quaedam in praeteritum referuntur. In praesens, ut uti possidetis, in praeteritum, ut de itinere actiue et de aqua aestiua.

»[14] Interdicta omnia licet in rem uideantur concepta, tamen ipsa personali sunt.

»[15] Interdicta quaedam annalia aut, quaedam perpetua».

[16] Consequenter Paulus in *l. II*, dicit principio (D. 43, 1, 2): «Interdictorum quaedam duplicia sunt, quaedam simplicia. Duplicia dicuntur ut uti possidetis; simplicia sunt ea ueluti exhibitoria et restitutoria. Item prohibitoria de arboribus cedendis et de itinere actiue», et in sequentibus multa pulchra reperies, quae positus in *Instituta* nunc relatis originem tribuerunt.

[17] De huiusmodi interdictis glosam quartam uide notabilem, in *C. Pastoralis de causa possess. et proprie*. (Greg. IX *De r.* 2, 12, 5), et ibi Ioannes Andreas, dominus Antonius dominusque Abbas, qui quidem dominus Abbas in fine columnae quartae, § *Quaero hic in textu*, de hac materia plenissime examinat, qui columna VI, uersiculo *Et dicuntur*, subiicit quod dicitur interdictum, quia per ipsum praetor interdicit seu prohibet aliquid fieri, uel dicitur interdictum quasi inter duos datum, ut sequitur infra, in glosa. (2) Item ibi, uersiculo *Secundum interdictum* et cetera, tractat de secundo interdicto, quod pro recuperanda possessionem datur, et est duplex: unum unde ui pro rebus immobilibus, alterum ui bonorum raptis pro rebus mobilibus. (3) Et deinde ait quod de iure canonico habemus interdictum recuperandae magis largum, ut in *C. Saepe*, id est titulo proximo, et adhuc aliud magis largum *III q., I redintegranda*, dicam plene in *d. C. Saepe* et *C. Cum ad sedem, De resti. spa.*, in *C. I*, in columna I, super glosa I, de differentia inter edictum recuperandae et adispiscendae tractat. Et de hac materia canonistae in praeallegatis locis, praesertim in *d. C. Pastoralis*, multa praeclara scribunt (cf. *ibid.* 2, 13, 18; Grat. *C.* 3, q. 1, c. 3; Greg. IX *De r.* 2, 13, 18; 2, 13, 15).

[18] De pertinentibus ad iura satis sit, ad grammaticali et elegantias, redeamus.

[19] Igitur *interdicto* post se, in dicto eum, cui sit interdicti, et in datiuo ablatiuoque rem interdictam petit, ut *interdico tibi aquae et igni* uel *aqua et igni*, non autem *interdico te aqua et igni* neque *interdico tibi aquam et ignem*. Mutari uero hoc modo in passiuum potest oratio, primo sic: *tu interdictus est*

aquae et igni, quod est frequentissimum quoque magis impersonale est dicendum. Secundo sic: *aqua et ignis tibi interdictus est*. Tertio sic: *tu interdictus es aquae et igni*, sed hoc rarius inuenitur. De hoc per Laurentium Vallensem, libro III, capitulo XLIII, de *interdico*. (2) Vnde Nicolaus Perottus in capitulo de constructione, in uerbis septimi ordinis actiuis ait (fol. g3u.): «Non potest dici *interdico* non esse actiuum, quia habet in usu passiuum *interdicor*. Nec potest dici quod habere possit accusatiuum post se. Non enim possumus dicere *interdico tibi aquam et ignem* nec *interdico te aqua et igni*, sed duntaxat dicimus *tibi aqua et igne interdico*. (3) Ad haec confirmanda facit quod Vlpianus *l. VI, ff., De interd. et rel.*, dicit (D. 48, 22, 7): «Relegatorum duo genera sunt: sunt quidam qui in insulam relegantur, sunt qui simpliciter, ut prouinciis interdicatur eis. Non etiam insula assignetur». Idem in eadem, § *Interdicere*, subiicit: «Interdicere autem quis ea prouincia potest, quam regit, alia non potest». Et infra: «Rescripserunt etiam ea prouincia interdici, unde quis oriundus est». Et infra:

[20] «Dubitatum est an interdicare quis alicui possit prouincia in qua oriundus est, cum ipse ei prouinciae praesit, quam incolit, dum suae non interdicit, ut solent Italia interdicare qui patria non interdicitur uel per consequentias uideatur etiam ei prouinciae interdixisse, cui praeest, quod magis erit probandum. Per contrarium autem is qui originis prouinciae praeest, non est nactus ius interdicens ei prouincia, quam incolit, is qui relegatur». (2) Idem in § *Siquis eam sententiam* (D. 48, 22, 7, 13): «Et si ex diuersis prouinciis oriri uideatur, propter conditionem uel suam uel parentis, patronorum uel pluribus prouinciis communiter interdictum ei dicemus. Quibusdam tamen praesidibus, ut multis prouinciis interdicare possint, indultum est, ut praesidibus Syriarum et Daciarum.

»[21] Constitutum est eum, cui patria interdictum est, urbe etiam abstinere debere. Contra autem sicui urbe fuerit interdictum, patria sua interdictum non uidetur, et ita multis constitutionibus cauetur. Sicui plane non patria sua, sed aliqua ciuitate interdictum sit, uidendum est an etiam patria sua. Itemque urbe interdictum dicamus quod magis est». Et infra:

[22] «Solet decurionibus ordine interdici uel ad tempus uel in perpetuum». Idem in § finali: «Potest alicui et unus honor interdici, sic tamen, ut sicui honore uno interdictum sit, non tantum», et cetera.

CIV. De arceo.

[1] *Arceo*, -es, -cui, secundum 221 regulam, *arctum*, -tu, sed per syncopa *arctum*, -tu uel *artum*, -tu est actiuum, actum repossens, et prohibere quoque significat. Enimuero testante Laurentio, libro VI^o, capitulo XVI, *arcere* potius prohibere esse, ne accedant ii qui ueniunt: *Iuno VII tantum annos Troianos arcuit ab Italia, a qua contacta amplius non arcebat, sed in ea esse prohibebat*. De corporibus ad incorporea, ut pleraque, transfertur. (2) Quamuis autem saepius res prohibita in ablatiuo mediante praepositione *a* uel *ab* locetur, tamen et cum ablatiuo sine praepositione ulla construi reperimur, ut apud Martianum, *l. penultima, ff., De interd. et rele.* (D. 48, 22, 8): «Sed honore quidem illum arceri puto». (3) Contrarium huic est *abigere*, quod a loco fugare expellereque significat, ut *a facie mea scribentis muscas abige*. Vnde *abactores* pecuariorum animalium fures latrunculiue uocantur. Hos quidam *abigeos* nominant. (4) Vlpianus enim, *l. I, § I, ff., De abigeis*, sic eleganter ait (D. 47, 14, 1): «Abigei proprie hi habentur, qui pecora ex pascuis uel armentis subtrahunt et quodam modo depredantur, et bigendi studium quasi artem exercent, equos de armentis uel oues de gregibus abducentes. Ceterum siquis ouem oberrantem uel equos in solitudine relictos aduxerit, non abigeus, sed fur potius est habendus». *Arceo* cum *con* componitur et *coerceo* dicitur, et cum *ex*, et fit *exerceo*, -es.

[2] 222 regula. *Inhibeo*, -es, -ui, -tium, -tu ex *in* et *habeo*, -es componitur, et est cohibere, prohibere, uetare, separare, remouere. Et imperatiuum est. *Inhibere* enim est non habere, unde *hic inhibitor*, -oris; et -hi-, ut in *habeo*, -ha-, corripitur. *Inhibitor* autem est bidellius, qui et angarius et exactor dicitur, quia nimis petendo et iniuste auferendo inhibet homines, uel quia inter eos lites inhibet. (2) Et haec secundum *Catholicon*, *Compraensorium*que, secundum quorum exempla et is cui fit inhibitio et res inhibita in separatis clausulis in accusatiuo poni possunt. Enimuero apud iura tam canonica quam ciuilia, pragmaticas, sanctiones et rescripta, is cui fit inhibitio ponitur in datiuo, et res inhibita in accusatiuo, cuius loco infinitiuus uel aliqua clausula prohibitiua surrogatur, ut *inhibemus uobis causae progressum* uel *ulterius progredi* uel *ne decetero procedatis*, licet fortasse elegantius in ablatiuo res inhibita poneretur, ut de *prohibeo relego*que dicitur.

[3] 223. *Prohibeo, -es, prohibui, -itum* a *pro* et *habeo, -es* componitur. *Prohibere* est uetare, interdicere, contradicere. Vnde *prohibens, -tis* genero omni, et *haec prohibitio, -onis*. Et peccata mortali prohibentur, sed uenialia cohibentur. Prohibitus autem in accusatio, res uero prohibita in ablatiuo collocari debet. (2) De accusatio in *l. Si proprius, § I, ff., De mor. infer.*, auctor est Pomponius (D. 11, 8, 3): «Si proprius aedificium alienum inter legitimum modum mortuus illatus sit, postea eum prohibere non poterit aedificii dominus». Vlpianus in *l. I, § Idem Labeo, ff. Quod ui aut clam* «Idem Labeo dicit (D. 43, 24, 1, 9): Siquem facientem prohibuero», et cetera. (3) De ablatiuo uel cum praepositione, Vlpianus idem in *l. I, § Siquis, ff., Ne uis fiat ei qui in poss. missus est* (D. 43, 4, 1, 4): «Siquis a possessione prohibuerit, quia suam putabat», et cetera. Et infra: «Si domini uel patris uoluntate prohibitus quis sit a possessione, in ipsos dabitur actio, quasi haec per alium fecerit». (4) De ablatiuo sine praepositione, in *l. Relegatorum, § finali*, idem Vlpianus probat (D. 48, 22, 7): «Et enim perquamridiculum est qui minoribus paene causa prohibitus sit, ad maiores aspirare. Maioribus tamen prohibitus minores petere non prohibetur. Sed muneribus siquis paene causa fuerit prohibitus nihil ualebit sententia, neque enim immunitatem tribuere debet. Ergo et si honoribus quis in poena fuerit prohibitus, poterit dici, nisi honores isti habuerunt, mixtam muneris grauem impensam, infamiam illi ad hoc non profuturam».

[4] Laurentius tamen Vallensis inter *prohibeo* et *inhibeo* facit differentiam libro V^o, capitulo III^o, in haec uerba: «*Prohibeo* uel generale nomen est uel ante rem coeptam. *Inhibeo* autem re iam coepta. Illud uetat nequid facias uel nequid incipias; hoc ne peragas ire desistasque ab incepto».

[5] 224. *Relego, -as, a re et lego, -as* componitur. *Relegare* est remittere, damnare, in exilium mittere. Vnde *relegatio, -onis*, quoddam damnationis genus, cum quis pro aliquo commisso patria interdiceretur, et priuati uiuebat, sed sua non amittebat et spem reuertendi habebat. Vnde *relegatus, -a, -um*, sic damnatus, et dicitur *relegare* sic damnare. (2) Relegatus enim semper in spe erat, ut retro legaretur, id est reuerteretur, et sic primae coniugationis est, in penultimaque producitur, cum prima de *lego, -as* sit producta. (3) Item *relego a re et lego, -is* componitur, corripitur, unde uersus (?):

«Lector sic releges uicium quod ab arte releges».

Quisque relegatus sua, cum remeabit habebit. Hoc *Catholicon* roborat, et quoad quantitatem *Doctrinale* in X^o (10, 1.780). Plane *relego, -as, -aui* hominem relegatum in accusatio poni et in ablatiuo sine praepositione re, a qua fit relegatio, exigit. (4) Vlpianus enim in dicta *l. Relegatorum, § His qui, De interdictis et rel.*, ait (D. 48, 22, 7): «Et enim moris est ita pronunciarum: illum prouincia illa insulisque eius relego». Potest tamen et ipsi ablatiuo praepositio anteponi, ut *te ab urbe relego*. Hoc enim in uerbis separatiuis et discretiuis locum habet. (5) Priscianus enim 2^o minoris, carta penultima, § *Separatiua*, dicit (18, 154): «Separatiua siue discretiua cum accusatio et ablatiuo coniunguntur, ut *auerto illum hac re* et *ab hac re* Similiter *pello, amoueo, torqueo, separo, dirimo, exigo, duco*. Virgilius primo *Aeneidos* (1, 38):

"Nec posse Italia Teucrorum auertere regem";

Cicero in primo *Philippicarum* (5, 11, 28): "Ab urbe Antonii impetus in Galliam auertere"; idem *Inuectiuarum* 2^o (3, 9, 21): "Quis tam auersus a uero?". (6) Hoc in VIII^o *Doctrinale* confirmat (8, 1.337-38):

«Vel si susceptum quid signet siue recessum

Si a te disco libros a teque recedo».

(7) *Caleo* secundum Nicolaum Perottum (*Rudimenta* fol. h1u.) in neutris sexti ordinis, quae post se ablatiuum sine praepositione uel accusatiuum cum praepositione *ob* aut *propter*, ut *ego caleo igni* uel *ob ignem* uel *propter ignem*, per simplex *-l-* significans calefacere, id est calefieri, et *calleo* per duplex *-ll-* significans callum fieri, quinti ordinis sunt. De *calleo* dicitur *nimio dolore obcalluit*. Aliquando quarti ordinis est, id est neutri transitiuo, et significat callidum siue astutum esse et optime aliquid scire, ut *dicenda sciendaque callens*.

[6] 225. *Praesto, -as, praestiti, praestitum*, et raro *praestatum* facit, quod a *prae* et *sto, -as*, componitur et ante stare uel pellere uel praexcellere significat, tuncque datiuum flagitat quoad eum, cui praexcello, et ablatiuum quo ad rem propter quam fit excellentia, ut *tu praestas mihi uirtutibus et scientia*. (2) Item exhibere, dare, statuereque notat, et tunc is cui praestatur in datiuo, et res praestita in accusatio poni debet, ut *ego praesto tibi centum*, tuncque penultima tam praeteriti quam supini breuis est, licet *-a-* remanserit in supinis, ut in regulis generalibus X *Doctrinalis* liquet. Quod quidem *Catholicon* confirmat expresse. (3) Nam et Priscianus dicit in IX, de prima coniugatione tractans (9, 38): «Composita a *sto, -as*, uarie uetustissime protulerunt, ut *astitum* et *astatum, praesto, praestitum* et *praestatum*». Insuper Petrus Heliae super eodem IX^o ait (Reilly 566): «Composita a *sto, -as* uarie proferunt supina, ut *astitum, astatum*. Sic et

in ceteris». (4) *Catholicum* uero in *praesto* subiicit: «Scias quod *praesto* compositum praeteriti *praestitum* secundum modernos facit et secundum antiquos *praestatum* quoque, unde in 2^o *Machabeorum*, capitulo IX (9, 16), inuenitur: "Se praestaturum"». (5) Praeterea *praesto*, -as, *praestau*, *praestatum* simplex -a- produciens in penultima commodare et mutuare signat, et a *praesto* dicitur *praestans*, id est multum praexcellens et prae aliis ualens, et comparatur *praestantior*, *praestantissimus*. Et inde *haec praestantia*, -ae et *hic* et *haec praestabilis* et *hoc praestabile* multum et prae aliis ualens. Et a *praesto*, -as, *praesto* temporis lociue aduerbium, id est in praesentia sum, quasi sto prae. (6) Teste uero Laurentio Vallensi, libro V^o, capitulo LI^o «*Praesto sum* idem est quod *assum*, nec alteri uerbo nisi substantiuo simplicique coheret, nam *praesto assum* magis est poeticum. (7) *Assum* uero tria significat: unum naturaliter, id est praesens sum, quod modo cum datiuo, modo cum ablatiuo mediante *in* coniungitur; duo alia per flexum ac deriuationem quandam, quod saepe corrogamus, qui periclitantibus nobis assunt, quales aduocati sunt, quorum est officium adesse in iudicio, sed ipsum illud *adesse* est fauere esseque praesidio. Et hoc secundum significatum est. (8) Tertium est aduenio seu magis adueniam. Nam prope idem sunt *iam ueniet* et *iam praesens erit*, et sic *aderit* pro utroque seu pro utrouis accipitur. Ergo *huc ades* pro *assis* idem est quod *huc uenias*». (9) *Assum* uero secundum *Catholicum* per duo -s- scribi debet, nam ex *ad sum*que componitur, sed -d- mutatur in -s- secundum Priscianum primo maioris (1, 45). (10) Nicolaus autem Perottus in constructionis tractatu, capitulo de uerbis neutris per -d- scribit, dicens (*Rudimenta* fol. g4u.): «*Adsum*, non praesens sum, ut quidem existimant, sed prope sum significat, sicut *absom* longe sum, quod ex ipsa significatione praepositionis componentis intelligitur. *Ad* enim *apud* et quasi *prope* notat. Cicero *De officiis* (1, 11): "Inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum quantum sensu mouetur ad id quod solum adest, quodque praesens est, se accommodat", hoc est ad id quod prope est et praesens est, quod ipsemet declarat "Sub paululum admodum sentiens praeteritum aut futurum", id est sentiens tantum quod adest, hoc est quod mox abiit uel mox futurum est». (11) Laurentius autem Vallensis in eodem capitulo (5, 51) subsequitur: «*Praesto sum* eadem ratione has easdem significationes habet. In *Bruto* Ciceronis exemplum est (Cic. Brut. 324): "Quibus quidem causis tu etiam, Brute, praesto fuisti". In secunda eiusdem *Pro Murena* (Mur. 19): "Ius ciuile didicit, multum uigilauit, laborauit, praesto multis fuit". In tertia eiusdem *Ad Herennium* (4, 61): "Irundines aestiuo tempore praesto sunt, hyeme pulsae recedunt", et hoc ultimum pro *compareo* solet accipi, ut sicui magistratus dicat: *cras mihi ad hunc locum et ad hanc horam praesto sis*, id est compareas, et te repraesentes mihi que exhibeas». (12) Papias uero dicit: «*Praestans* est ante stans, nobilis, perseuerans, praecipuus, praestantius, significantius, sublimius. Et est *praestans* qui praeest et corrigit». (13) *Graecismus* autem ait: «*Preualeo*, praesto dicas, *praesto* quoque dono. *Praesto*que saepe solet accommodo significare». (14) Iam ad auctores elegantes transeamus. Nonius ait (371): «*Praestare* est facere. M. Tullius *De officiis* libro III^o (3, 370): "Emptorem indemnem damno praestare oportere". Item *praestare* dicitur consuetudine beneficium dare. *Praestare* exhibere. M. Tullius *Ad Caesarem Iunioem* II^o (fr. 11): "Tu si meam fidem praestiteris, quod confico te esse facturum, praestare antecellere". Virgilius libro VII (Aen. 12, 19):

"O praestans animo iuuenis".

Salustius in *Catilinaria* (1, 1): "Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animantibus". Insuper *praestat*, id est, utile est, Virgilius libro III^o (Aen. 3, 429):

"Praestat Trinacrii metas lustrare Pachini"»

(15) Tandem Laurentius Vallensis, libro VI, capitulo XVI, dicit: «*Praestare*, quo uerbo saepe et iurisconsulti et oratores utuntur, est prohibere ne alicui fiat aliquid incommodi. Et si non prohiberint, satisfacere, ut *uenditor debet praestare uicium rei quam uendit*, id est prohibere atque efficere ne emptor damni quid faciat. Alioquin satisfacere neque id alterum modo uerum etiam in nos ipsos». (16) Nicolaus Perottus in capitulo de etheroditis ait (fol. i2r.): «*Praesto* a plerisque inter nomina ponitur, et nullum habet casum nec aliter quam cum substantiuo uerbo construitur, ut *praesto sum*, nam *praesto assum* magis poeticum est».

[7] 226. *Insimulo*, -as ab *in* et *simulo*, -as componitur, et est accusare uel incusare, quia accusatoris est simulare in aduersarium quicquid potest. Et *insimulor*, -aris in genere deponenti in eodem sensu reperitur secundum Vgutionem. Item est *assimulo*, non fingo. Vnde *insimulatus*, -a, -um, id est non fictus, *Sapientiae* XVIII (18, 16): «Gladius acutus insimulatum imperium portans et stans repleuit omnia morte, et usque ad caelum attingebat stans in terra», et dic *insimulatum*, id est non fictum uel ab *in simulatus*que componitur secundum *Catholicum*. (2) *Insimulo* uero, ut uerba ad accusationem damnationemque

pertinentia, personam insimulatam in genitiuo uel ablatiuo mediante *de* uel *ex* poni cupit, ut *insimulo te criminis* uel *de crimine*. Vnde *Doctrinale* in VIII^o dicit (8, 1.261):

«Accusansque modo damnansque locatur eodem».

Nam et *argutus* hanc naturam habet.

Plautus in *Pseudolo* (745):

«Argutus malorum facinorum»,

id est conuictus, quem textum Priscianus in X^o, carta 3 (10, 12), ubi de supinis in *-uo* diuisas terminantium docet, commemorat. (3) Liuius autem XXV^o libro *Ab urbe condita* (25, 6, 13), cum datiuo pro ablatiuo mediante *de* uel *ex* construxit: «Cannensem uero quisque exercitum fugae aut parui insimulare potest?», quasi dicens de fuga aut pauore. Haec ego subiunxi in meo *Elegantiarum breuiario*, libro III^o, capitulo XLIII. (4) Ad haec facit quae Nicolaus Perottus de uerbis actiuus ordinis secundi dicit (fol. f8u.): «Quid interest inter *accusare* et *incusare*? Incusamus maiores, accusamus pares uel inferiores. Et possunt habere genitiuum uel ablatiuum cum *coram* uel *accusatiuum* cum *apud* aut *ante*, ut *Pirrhus accusat Penolopen superbiae coram matre sua* uel *apud* uel *ante matrem suam*. (5) *Pulso* proprie est percutere, ut *pulsat pugnus pectora*. Antiqui *pulto* dicebant, unde fit ut significet etiam canere siue ludere, ut *pulsat cytheram*. Nec potest dici *campana pulsat*, sed *pulsatur*, nec *campanam sono*, sed *pulso*. Possumus tamen dici *sono campana*, sicut *sono campana* ablatiuus casus, ut Virgilius (*Aen.* 1, 740-41):

"Cythera crinitus Hiopas personat aurata".

(6) Possumus etiam dicere *campana tertiam et quartam horam* et *tertia hora pulsata est* et *quarta hora pulsata est*; Virgilius (*Aen.* 6, 647):

"Tanque eadem digitis iam pectore pulsat eburno".

Aliquando *sono* iungitur cum *accusatiuo*. Virgilius (*Aen.* 1, 328):

"Nec uox hominem sonat",

id est exprimit sonando; et *siluae resonant amarillida* (cf. Verg. *Buc.* 1, 5), id est resonando exprimuntur.

[8] 227. *Pluo*, *-is*, *pluui* uerbum defectiuum est et exceptae actionis est secundum Priscianum primo minoris, et a *fluo* dicitur, et huiusmodi uerba exceptae actionis in prima secundaque persona et in omnibus in plurale defectiua sunt. (2) Nam et Priscianus ipse in fine octaui (8, 103), de personis defectiuus in uerbis tractans, ait: «Praeterea in nominationibus, id est onomatopoeis siue nominum seu uerborum nouis conformationibus, non omnes declinationis motus sunt quaerendi, ut *tinniat*, Persius (5, 106):

"Sub Erato mendosum tinniat auro";

tarantara, Ennius (*Ann.* 2, 35):

"At tuba terribilis sonitu tarantara dixit".

(3) Vt enim apud Graecos *sizeo*, *pluit* et *tonat* et *fulminat* et multa similia, quae ad homines non pertinent, proprie quidem a tertiam dicuntur personam. Possunt tamen in prima inueniri persona et secunda per poetarum prosopopeias, id est conformationes, uel per responsia des et per apostrophen, quasi ad ipsum Iouem praesentem, et sunt quasi propria uerborum quae ad solum Iouem pertinent. (4) Reperiunt tamen et alia uerba quae in usus deficiunt personis, ut *caedo*, *sodes*, *salue*, *furis*, *aeue*, *infit*, *foret*, quamuis *infito* et *furo* apud Varronem inueniuntur et *forem* apud Terentium in *Ecyra* (525)». *Fore* quoque dicitur, ex quo *confore* Hunc textum supra, libro 4^o, 3^a regula, circa finem, uersiculo *Idem Priscianus in eodem 8*, reperies, quem obliuioni tradideram. (5) Et *pluere* quasi fluere dicitur. Et supinis in usu frequenti caret, sed *plutum* reperitur. Et sic in constructione poni debet *aquam pluit* subintelligendo *deus* Tamen per improprietatem quandam legitur *aqua pluit*, id est aqua pluendo cadit. (6) Vnde Virgilius dixit in *Georgicis* (4, 801):

«Nec densior aere grando

Nec de concussa tantum pluit ilice glandis»,

hic tantum nominatiui casus esse uidetur secundum Nicolaum Perottum, ubi de his uerbis exceptae actionis docet (fol. g4bu.), ubi Oratium, Salustium Liuiumque allegat dicentes *pluisse lapidibus* (7) *Pluo* componitur *compluo*, *-is*, pluuiam irrigare. Vnde *haec compluito*, *-onis* et *compluo*, *-eris* in passiuo, et *complutus*, *-ta*, *-tum*. Et *pluo* cum compositis neutrum est, sed *compluo* est actiuum, et omnia praeteritum in *-ui* coniunctim faciunt, ut *pluui* sed per syncopam *plui*. Et supina in *-utum*, ut *plutum*, licet in usu, praesertim in simplicitate, non sint. Hugutius. (8) Et, ut dicunt, *pluo* neutrum absolutum est. Aliquando tamen per alterius subintellectum *accusatiuum* regit, ut *pluet super peccatores laqueos*, id est deus laqueos pluendo emmitet. *Catholicon* Ceterum sine supposito cum ablatiuo a parte post construi reperitur, ut *lapidibus uel*

sanguine uel *carne pluit*, ueluti Liuius multis in locis hoc dicendi genere usus est. (9) Nam et Priscianus libro X^o, de praeterito supinisque huius uerbi *pluo* docens ait (10, 11): «*Pluo, pluui*, Liuius in 2^o *Ab urbe condita*, et in XXI et XXII, dicit "lapidibus pluuisse", et in XXIII "sanguine pluit" (cf. Liv. 1, 31, 1; 21, 62, 5; 22, 36, 7; 24, 10, 7)». Et paulo post ait (Prisc. 10, 11): «*Spuo* et *metuo* et *pluo* secundum analogiam *sputum* et *metutum* et *metuitum* et *plutum*, uelut *adiutum* ab *adiuui*, debent facere, sed in usu non inueni». (10) Laurentius Vallensis, libro 3^o, capitulo 44^o, dicit haec confirmans: «*Pluit* caret supposito habens appositum ablatiuum, ut Liuius (1, 31, 2): "Nunciatum est in Albano lapidibus pluuisse", licet nunc dicamus *deus pluit carnem, pluit manna, pluit escam*». Hic autem in meo *Elegantiarum breuiario* addidi: «Sed et Liuius libro XXVIII, accusatiuum apponit (28, 27, 16): "Lapides pluere et fulmina iaci de caelo", nisi per improprietatem quandam dicatur lapides obluendo cadere, ut in *pluo* dicit *Catholicon*».

[9] 228. *Ningo, ningis, ninxi*, niuem emittere, et a *nix* deriuat et uerbum exceptae actionis est, et proprie tantum tertias personas habet, secundum *Catholicon*, de quo Laurentius, antedicto capitulo 44^o dicit: «*Ningit* uero fere suppositum et appositum respuit».

[10] 229. *Deceo, -es, -ui, decere*, id est conuenire, ad ornatum pertinere, ut *te decet ymnus deus in Syn*, et *pallium decet me*. Et nominatiuus huius uerbi designare debet ornamentum, accusatiuus autem eum cuius ornamentum est, si fiat aliter, latine non dicitur, ut *iste decet pallium* uel si *talis partus decet deum* uel *deceat deo* diceretur. (2) Item a *deceo, decet* impersonale, quod magis in usu quam suum personale est, et cum accusatiuo, sicut personale suum transitiuum eundem petat. *Decet* autem componitur *condecet* et *dedecet*, id est disconuenit. *Deceo* cum omnibus suis compositis neutrum est, et corripit *-de-*. Vnde Ouidius (*Ars. Am.* 2, 530):

«Dedecet ingenuos taedia ferre sui».

CV. De uerbis cum eadem uariaque significatione uarium regimen admittentibus.

[1] 230. *Iuuo, -as, iuui, iutum*, sed *iuuau, iuuatum* secundum antiquos, unde *iuuamen iuuamentumque* descendunt, et *iuuare* auxiliari delectarique significat, primamque abbreviat, sed in praeterito supinoque modernis allongat, Prosper (?):

«Quid iuuat in longum causas producere morbi?»

(2) Et ex se *iuuat* impersonale facit, quod intransitiue cum accusatiuo construitur, ut *me iuuat legere*. Vnde de *deceat* et *iuuat* impersonalibus *Doctrinale* dicit in VIII^o, in accusatiui regimine (8, 1.277):

«His iunges *iuuat* atque *deceat, delectat, oportet*».

[2] 231. *Conduco, -is, condux, conductum* ex *con* et *duco*. Est autem *conducere* simul ducere, aliquibus ducatum praebere, mercede constituta aliquid ducere, unde uersus (?):

«Conduc precium praebens tradensque ducatum.

Qui capit, ille locat. Conducit qui precium dat».

Catholicon. (2) Item *conducere* securum facere securitatemque praestare seu guidare, et inde *conductus* siue *saluus conductus* et *conductibilis Compraesorium*. (3) Nonius uero dicit (274): «*Conducere* est emere, Plautus in *Aulularia* (567):

"Cedendum condux ego illum".

Conducere est sicuti usu, Lucretius libro XXVIII^o (Lucil. 29, 88):

"Magno non magna mercede magno quidem conduxeris".

M. Tullius *De officiis*, libro II^o (2, 22): "Vt saepe in nostra re publica uidemus, mercede conducti". (3)

Conducere, colligere, conuocare, Varro in *Auio* (*Manio* 259):

"Manius

mane suscitatur, rostrum populum in foro conduxit".

Conducere, conuocare, Lucretius libro XXX (Lucil. 30, 113):

"Et uirtute sua et claris conducere cartis".

Conducere est utile esse».

[3] 232. «*Decet, iuuat, conduxit* pro utile est et si qua sunt alia nec personalia sunt plane nec impersonalia, cum habeant numeros: *hae uestes decet nos, isti cibi iuuant te, studia secreta maxime conduxunt. Explicit expliciunt* nunquam, quod sciam, legi». Haec Laurentius, libro 3^o, capitulo 45^o dicit. (2) Sed *Doctrinale* in fine sexti ponit (6, 1.032):

«*Explicit, expliciunt, dic infit et inquit et inquam*».

(3) *Catholicon* quoque refert: «*Explicit* et *explicunt* uerbum defectiuum ab *explico*, -as deriuatur, id est terminatur uel finitur, et terminantur et finiuntur», nec de eo plus inuenitur. «*Explicitus*, -a, -um ab *explico* uel *explicit* defectiuo, id est extensus uel finitus et determinatus. Et componitur *inexplicitus*, -a, -um. (4) *Explico*, -as, *explicui*, *explicitum* et *explicauit*, *explicatum* secundum antiquos inuenitur, ab *ex* et *plico*, -as. *Explicare* est ordinare, digerere, extra plicam ponere, soluere, aperire». Haec *Catholicon Compraesorium*que confirmant.

[4] Enimvero pro Laurentii confirmatione *explicit*, *explicunt* nec Festus Pompeius nec Nonius Marcellus nec A. Gelius nec Seruius posuit, ut et in *Alfonsina* uiderit poterit. Vbi tamen secundum Nonium scribitur (299): «*Explicare*, ostendere, explanare, emittere, extendere, exercere. (2) At secundum A. Gelium: «*Explicauit* Tullius dicere maluit quam *explicuit*, quia iocundius ad aurem conspectusque, quod esse tam usitatius, ceperat. Verba sunt haec ipsius exhortatione quam *De imperio Cn. Pompeii* habuit (?): "Testis est Sicilia, quam multis undique cincta periculis non terrore belli, sed consilii celeritate explicauit". Et si *explicuit* dixisset, imperfecto et debili numero uerborum sonus clauderetur».

[5] 233. *Ausulto* et *audio* pro communi significato accusatiuum poscunt, pro obtempero datiuum. Cicero in *Philippicis* (7, 2): «Et audiens esset huic ordinis, hinc est», quare *obedio* ex *ob audio*que compositum, -*au-* in -*e* longam mutata, datiuum exflagitet, secundum Laurentius capitulo sequenti. Alphenus in *l. antepenultima*, ff. *De arbi.*, hoc confirmat: «Alter ex litigatoribus dicto audiens non fuerat». Vbi Accursius: «*Audiens*, id est *obediens*», exposuit. Perotusque confirmat.

[6] 234. *Cumbo*, *cumbis*, *cubui*, tum quod non est in usu in praesenti. Et inde fit *cubo*, -as. Idem praeteritum supinumque cum eo habens, scilicet *cubui*, -*itum*, in eodemque sensu, ut iacere, inclinari, sed *cubare* potius ad languidos, insidiatores uigilatoresque spectat. Vnde *cubare* pro aegrotare, insidiari uigilareque reperitur, et secundum antiquos praeteritum in -*auit* et supina in -*atum* facit, et sic ad antedictos adaptatur. Vnde uersus:

«Sanus eo cubitum, male sanus uado cubatum».

Festus autem Pompeius ait (46): «*Cubans* auspicatur qui in lecto quaerit augurium». (2) Et omnia ab his composita sunt neutra omniaque praeteritum in *cubui* et supina in *cubitum* faciunt, nisi quod a *cubo*, -as et eius compositis praeteritum in -*auit* et supina in -*atum* secundum antiquitatem quandoque reperiuntur. Et omnia hanc syllabam -*cu-* corripiunt, nisi positione defendatur, et ab omnibus frequentatiua legis, ut *accubito*, -as, et cetera. (3) Item a *cumbo* *cubo*que composita fere in eodem inuenitur sensu. Nec abs re *ferre* dixi, quippe cum differant in aliquibus. Et enim *accubare* est toto corpore accubere cubito, et proprie in comestione; et *concumbo*, -is et *concuo*, -as, id est coire uel pariter et simul iacere, inde *concubitus*, -us. (4) Item *decumbo*, -is et *decubo*, -as, id est uigilare et in partu aegrotationeque iacere. Et *discumbo*, -bis et *discubo*, -as, iacere in triclinio comedendi gratia, licet et in alio loco supra cubitum iacentes solerent comedere. Insuper *excumbo*, -is et *excubo*, -as, causa custodiae uigilare, quasi extra cubare, id quod facere consuescunt qui noctu ciuitates, castella, uicos arcesque custodiunt. (5) Deinde *incumbo*, -is et *incubo*, -as, id est imminere, instare uel rem alienam inuadere et ui possidere, sed proprie *incumbere* in significatione prima, *incubare* uero in secunda suscipitur. Posthac *intercumbo* et *intercuo*, inter aliquos aliquasue cubare. Ad hoc *procumbo* et *procubo*, id est procul cubare uel ante uel in anteriori parte inclinare; et *occumbo* et *occubo* contra aliquid cubare. (6) Vterius *recumbo* et *recubo* proprie in cubiculo recubat languidos, sed in triclinio conuiuia accumbit. Praeterea *recumbere* uel *recubare* est in comestione iacere uel sedere. Tandem *succumbo*, -is et *succubo*, -as, id est cessare uel superari uel subitus cubere uel cubare. (7) Et sic haec composita secundum Hugutionem differunt. Quae omnia per hos uersus secundum *Catholicon* haec scribens breuiter exponuntur: «Accubens dormit; discubens fercula sumit; concubens uiolat; procubens numen adorat, occubens moritur; uictus succubere fertur. Qui cubat ille iacet; uigil excubat; incubat ales».

[7] 235. *Incumbo* unum ex compositis de *cumbo* datiuum uel accusatiuum mediante hac praepositione *in* uel *ad* potest recipere, ut *incumbo huic rei* et *in hanc rem* uel *ad hanc rem*. Verum, testante Laurentio, libro 3^o, capitulo 48^o, dici potest: «*Incumbo studiis* et *incumbo remis*. Virgilius (*Aen.* 10, 294):

"Validis incumbite remis".

Incumbo in studia et *ad studia*, sed non *incumbo in remos* et *ad remos*. (2) Hoc Nicolaus Perottus in neutris septimi ordinis confirmat, dicens (fol. h3u.): «*Incumbere* est toto animo siue corpore alicui rei insistere. Et aliquando est huius ordinis, ut *incumbo in studia* et *ad studia philosophiae* Aliquando est ordinis acquisitiuorum neutrorum, ut *incumbo studiis philosophiae* (3) Sed illud animaduertendum, quod quando ad animum refertur, utriusque ordinis est, quando autem ad corpus duntaxat, tertii ordinis est, hoc est acquisitiuorum, ut *incumbo remis*, non enim diceremus *incumbo in remis* neque *ad remos*. Deinde

Laurentius (3, 44), Cicerone probans ait: (4) «Cicero (*De or.* 1, 34): "Pergite adolescentes, et in haec studia in quibus estis, incumbite". Et alibi (*Att.* 2, 16, 3): "Quare incubamus, o noster Tite, ad illa praeclara studia, et eo unde discedere non oportuit, aliquando reuertamur". Nec hoc in bonum tantum, sed in malum accipitur, ut idem *M. Catoni* (Cic. *Mur.* 159): "Incubenti ad eius perniciem". (5) Sed illud *incumbite remis* non per translationem dicitur, ut hoc. Nam ut, cum remiges incumbunt rennis uel cum nos operi faciundo incumbimus toto pectore, significatur diligentia et conatus, ita cum accuratius, quid mente agimus, *incumbere* dicimur. Quemadmodum *supini* dicuntur econtrario, qui negligenter aguntur». (6) *Inuideo* ex *in uideo*que compositum, eo quod oculos et animum in eos quibus inuidemus continue intentos habeamus, apud ueteres nec immerito est actiuum. Ennius (?):

«Quisnam liberum florem inuidet meum?».

Oratius in *Poetria* (55-56) passiuum posuit:

«Ego cur acquirere pauco

Si possum inuideor?».

Nec recentiores ponunt cum datiuoque construunt, ut *inuideo tibi*.

[8] 236. Multa reperiuntur uerba cum eadem uariaque significatione uarium regimen admittere. De eadem in *incumbo* et *inuideo* et *officio*, secundum proxime dicta perspicitur. Item et *fido* cum datiuo construitur. Liuius libro 29^o (29, 12, 1): «Philippus Aetolos desertos ab Romano cui uni fidebant auxilio quibus uoluit condicionibus ad petendam et paciscendam subegit pacem». Et cum ablatiuo quoque, in praepositione mediante, ut *fido in te, confido in domino*. (2) Posthac *cedo te hanc rem, cedo tibi hanc rem, cedo te hac re, cedo te de hac re* dici potest, et ex uerbis duos accusatiuos regentibus, quaedam post priorem accusatiuum etiam ablatiuum secundi accusatiui loco habere possunt, ut *cingo, calcio, exuo, uestio, induo*. Dicitur enim *induo te uestem* et *ueste. Peto* etiam et *postulo* plerunque cum *-a-* uel *ab* ablatiuum habent, ut *ego peto et postulo haec abs te*, secundum Nicolaum Perottum in uerbis quarti ordinis, super constructionis capitulo. (3) Qui in quinti ordinis uerbis ait (fol. g2u.): «*Pasco* modis octo construitur, nam dicitur *boues pascuntur herbam, herba pascit boues, boues pascuntur herba, herbis pascuntur boues, ego pasco herbam, boues pascuntur, boues pascunt*». (4) Et infra: «*Impertio* quattuor modis construitur: *impertio tibi bona mea* et *te bonis meis, impertio te bonis meis* et *tu impertiris a me bonis meis*. Et VI uerba sunt quae accusatiuum cum ablatiuo sine praepositione datiuoue possunt suscipere: *onero, exonero, spargo, fundo, figo, stertio, leuo*, ut *onero te donis* et *onero tibi dona; figo terram hasta* et *figo hastam terrae; sterno lectum lodice* et *sterno lodicem lecto; spargo fundo tibi aquam* et *te aqua; leuo te hoc fasce* et *tibi hunc fascem*. Et infra: «*Quaero* et *requiro te hac de re* uel *hanc rem abs te*. Idem de *percontor* ait. (5) Deinde *inest huic loco* et *inest in hoc loco*. Primum apud Quintilianum ceterosque frequentius; secundum apud Ciceronem. *Immineo huic rei, in hanc rem* et *in hac redici* potest. Liuius 23 (23, 16, 3): «Non castris metuens, sed ne urbis perdendae occasionem nimis multis in eam imminentibus daret». Idem libro 25^o (25, 20, 5): «In alterius ducis exercitusque occasionem imminebat»; ergo non solum per datiuum sic loquimur, sed per accusatiuum quoque. (6) Sed per ablatiuum scite idem Liuius libro 33^o (32, 4, 3): «Loco alto siti sunt in ipsis faucibus imminentes, quas Coeclae uocant». Nec ab hoc differt illud Ciceronis in libro *De natura deorum* (1, 54): «Itaque impositis in ceruicibus nostris sempiternum dominum, quem dies ac noctes timeremus».

[9] Huiuscemodi multa sunt uerba, ut *haereo*, Virgilius (*Aen.* 2, 442):

«Haerent parietibus scalae»,

et tamen Curtius (6, 3, 8): «Haerent in tergis fugientium uictor». (2) Nicolaus Perottus in neutris tertii ordinis ait (fol. g6r.): «*Haereo* dum significat nunc adhaerere, ut *haereo parieti*, non dubitare et tunc absolutum est, unde *haesito* frequentatiuum est. (3) *Comparo hanc rem illi* et *cum illa. Confero te isti* et *cum ista. Compono* pro *comparo* secundum Seruium in prima *Egloga* (1, 22) idem uendicare potest. Insuper *ego sum similis tibi* et *tui, hoc omnibus* et *omnium est commune*. Vel *commune mihi tecum* et *cum ceteris. Ego particeps laborum tuorum sum* et *sum tibi in laboribus particeps. Accedo huic rei* et *ad hanc rem*, uel *accedis huc* uel *eo* uel *eodem. Impendo curam* uel *operam* uel *laborem* et similia *huic rei* et *in hanc rem*. Quod in Quintiliano saepe sit compertum. *Partior laborem multis negociis* et *in multa negocia*. (4) *Deficio hac re* et *haec res mihi deficit*. Nam Priscianus in 8^o dicit: «Inchoatiuorum quoque et meditatiuorum infinitis non solum praeteritum perfectum sed etiam futurum deficit tempus, ut *horresco tepescere, feruescere, pasturare, esurire, lecturare*. Nec non perfecti si sint eiusdem inchoatiuorum plerunque deficiunt futura, ut *discere, didicisse*, sed et *officio* pro *dessero* accipitur, et si actiuum est». Hoc Nicolaus Perottus (fol. g4u.) in neutris ordinis secundi probat: «*Vt deficio pecunia, pecunia deficit mihi*, et *inopem deficiunt omnes amici*, id est *desserunt*». (5) Insuper *adiicio huic rei* et *in hanc rem. Respondo tibi* et *ad te* (6) Item secundum Nicolaum Perottum possumus dicere *seui*

triticum in agro et seui agrum tritico; conseui ortos arboribus et conseui arboris in ortis; inseui malum ramusculo piri et ramusculum piri in malo inseui. Vnde fit *satio* et *insitio* quae duplex est, et cum infixio trunco sterili inseritur surculus fecundae arboris et cum germen alienae arboris. (7) *Celo* secundum Laurentium (*Eleg.* 3, 45) *te hanc rem et de hac re. Tu es natus ad laudem et laudi. Aggregabo te illis uulgo dicimus; Cicero (Arch. 6): «Aggregare te soleo in nostrum numerum».* Idem *Pro Archia* (ibid. 10): «Ascribi se in eam ciuitatem uoluit», et pro eodem: «Cum fuerit in aliis quoque ciuitatibus ascriptus, tibi hoc ascribendum est, tibi tribuendum et imputandum». (8) Praeterea *desum bello et ad bellum* dici potest, Liuius libro 28^o, iuxta finem (28, 46, 4): «Et quia pecunia ad bellum deerat», nisi dicas hic datium pro eo cui res deest et accusatiuum cum praepositione pro re carentiam fugiente petat, ut *pecunia bellantibus ad bellum deerat*.

[10] Vterius ad hanc rem facit quae Nicolaus Perottus in sua *Grammatica* super uerbis secundi tertiiue ordinis disserit (fol. g4u.): «Quae sunt uerba secundi ordinis? Quae exigunt nominatiuum ante se et post se accusatiuum cum genitiuo uel datiuo, ut *tu implesti domum tritico et consulo te remedii. Emo, comparo, uendo, uenundo, reuendo, aestimo, redimo, culpo, arguo, reprehendo, accuso, incuso, increpo, damno, condemno, castigo, punio, mulcto, impleo, euacua*. (1) Et incusamus maiores, accusamus pares uel inferiores et datiuum uel ablatiuum cum *coram* uel accusatiuum cum *apud* aut *ante* habere possunt, ut *accuso te superbiae uel de superbia matri tuae uel coram matre tua uel apud uel ante matrem tuam*. (2) Et infra: «Quae sunt uerba tertii ordinis quae possunt etiam esse quinti? Sunt haec: *dono, impartio, augeo, conduplico, accumulo* et siqua sunt similia. Dicimus enim *dono tibi libertatem et dono te libertatem, impartio tibi res meas et impartio te rebus meis, augeo tibi fortunas et augeo te fortunis*. Item *rescribo tibi et ad te, et mitto tibi et ad te* dicimus».

[11] Tandem non nulla uerba absoluta simul leguntur et actiua. Nam Prisciano teste in 8^o (8, 27): «*Assuesco* absolutum est, tamen pro *assuefacio* comperitur. Lucanus in V^o (3, 321):

"Adde quod assuescis fati",

pro *assuefacis*.» (2) Similiter *propinquo* in utroque genere legitur. «Virgilius in X^o (*Aen.* 10, 254):

"Tu mihi nec pugnae princeps, tu rite propinques

Augurium",

actiue scripsit. Idem in 2^o *Aeneidos*, absolute (2, 733):

"Fuge nate, propinquantur".

Idem in V^o (5, 159):

"Tanque propinquabant scopulo metamque tenebant".

(3) Itidem *simulo* absolutum. Virgilius in III^o (*Aen.* 4, 368):

"Nam quid dissimulo aut quae me ad maiora reseruo?"

Idem in X^o, actiue posuit (*Aen.* 10, 639):

"Iubasque

diuini assimilat capitis".

Idem in XI^o (12, 224):

"Formam assimilata Camertae".»

(4) «*Insuper inundo* modo absolutam modo actiuam significationem habet. Virgilius in XI^o (*Aen.* 11, 382-83):

"Dum detinet hostes

Agger murorum nec inundat sanguine fossas",

in quibusdam codicibus inuenitur:

"Nec inundat sanguine fossae".»

Et in hoc 8^o Priscianus et Petrus Heliae alique expositores plene de VI uel VII uerborum abusioibus explicant.

[12] Nec pauciora uerba cum uaria significatione regimeneque leguntur, ut in *refero* et *refert*, in hoc libro, uersiculo *Duo sunt, ut interest et refert*, in 27 doctrina et regula 219. Et in *praesto*, in regula 225, et in *pluo* in 227, et in *deceat* in 229, et in *ausculto* et *audio* in 233, et in quibusdam compositis a *cumbo* et *cubo* in 234, cogniti sit facile. (2) Item secundum Laurentium, libro 3^o, capitulo 49: «Dicitur *timeo te tanquam inimicum, timeo tibi tanquam amico, illic tanquam offensurus sis, hic tanquam defendendus*. Vnde Nicolaus Perrotus dicit (fol. f7u.): «*Timeo* et *metuo* cum accusatiuum habent, significant formidare, ut *discipulus praeceptorem timeo*; quando habet datiuum uereri significant nequid mali alicui accidat, ut *tu times tibi, timeo mihi, timeo amico*.» (3) His Priscianus in VIII^o (8, 24), de actiuis et passiuus in contraria litteratura tractans, auctoritatem praestat. Sic enim dicit: «Sunt autem quaedam actiua uoce significationem passiuam habentia, et ex contrario passiuia uoce actiuam, sicut supra diximus: *timeo te, timeor a te, metuo te, metuor a*

te Sunt tamen haec eadem uerba absoluta, cum non coniunguntur casui accusatiuo sed datiuo, ut Terentius in *Andria* (210):

"Eius uitae timeo".

Idem in eadem (106):

"Ei metui a Chriside".»

(4) Item *consulo* tres significationes cum uario tenet regimine, nam actiuum cum accusatiuo notat consilium petere, ut *consule iurisperitos*, id est pete consilium a iurisperitis; cum datiuo uero est dare consilium, ut *consulant tibi iurisconsulti*, id est dent tibi consilium. Neutrum uero est iuuare et praesidium ferre, ut *consulo honori tuo, consule calamitati hominum*. Vnde *consultor* quamuis proprie dicatur qui consilium ab alio quaerit significat tamen etiam eum qui consulit, ut est in prouerbio illo: Malum consilium consultori pessimum. (5) *Occido* penultima longa est, actiuum interficereque significat, sed penultima breui est neutrum et *mori* dicit, quamuis et de sole dicatur *occidit*, cum a conspectu nostro terrae interpositione aufertur, et *occassus solis* quasi mors. Ita enim *hominis ortus et occassus*, sicut *solis*, dici potest. (6) *Perdo* quando actiuum rem uel animal significantem habet, signat amittere, ut *perdidi pecuniam, perdidi patrem* uel *equum*. Interdum notat destruere cum instrumento quodam uel re causam designante, et tunc accusatiuum simul cum ablatiuo regit, ut *ense hostem perdidi* uel *bello diuturno perdidi ciuitatem*. (7) *Pario* est actiuum et in lucem iam enittere et enixam esse significat, *parturio* est neutrum desideratiuumque notatque eniti et desiderare partum. *Recipio* significans accipio est actiuum et accusatiuum cum ablatiuo mediante *a* uel *ab*, ut *recepi a te librum* uel sine ablatiuo, ut *recipite* uel cum alio accusatiuo mediante *in*, ut *recepi me* uel *te in domum*. Significans uero promittere neutrum est et datiuum petit, ut *recepistis mihi*, id est promisistis mihi. *Supero* actiuum significat uincere, neutrum uero superesse dicit, ut *superant pecuniae*, id est supersunt. De his Nicolaus Perottus capitulo de constructione in uerbis primi ordinis docet. (8) Deinde secundum eundem Laurentium, ubi supra: «*Commendo te regi*, id est commito; *commendo te apud regem*, id est laudo».

[13] Insuper *cedo tibi*, unde et *concedo tibi* pro non repugno, facitque praeteritum *cessi*. *Caedo* te pro flagello te, cuius praetritum est *ceci* pro flagellauit, sed penultima producta, licet proper geminationem primae syllabae breuis utraque esse debuisset, et forte propter coincidentiam remouendam, cum in *ceci* de *caedo* duae primae breuiuntur, ut in regulis generalibus X *Doctrinalis* et in *Catholicon*, in *cedo*, reperitur. (2) Et ut de *cedo*, *-is*, *cessi*, supinum est *cessum* cum duplici *-s-*, et de *caedo* *ceci*, *casum*, ita et de *caedo*, *ceci*, *cesum* cum *-s-* simplici. Vnde *caesus* uel qui flagellatus uel qui amputatus est siue accisus, raro pro *occido*. Verum Nonius dicit expresse (250): «*Cedere* secundum consuetudinem significat abire superatum et locum uictori dare». (3) *Succedere*, *dare*, *discedere*, *obsequi*, *cedere*, *euigare*, *incedere*, *excidere*, *occidere* uel *mactare*, *immolare*, *frangit*, *cedere*, *commiscere*, *cedunt*, *pectunt*. Seruius confirmat significatum primum dicens: «*Cedere* est superatum abire, locum uictori dare, Virgilius (*Aen.* 5, 467):

"Cede deo";

Tullius *De officiis* libro II^o (2, 40): "Cui quidem exercitus nostri imperatoresque cesserunt".» (4) *Catholicon* autem refert: «*Cedo*, *-is*, *cessi*, *cessum* quinque significat, id est dare locum, et sic cum datiuo solo construitur, ut *cedo tibi*; et cum datiuo et accusatiuo in eodem sensu, ut *cedo locum tibi*». De hoc per *Doctrinale* n IX^o (9, 1.495):

«Equiualens geminis»,

et cetera. «Item *cedo*, id est *incedo*, ut *cedo ad ecclesiam*, id est *incedo* uel *uado*; et *cedo*, id est *recedo*; et *cedo*, id est *contingo*, ut *mihi bene cedit*, id est *contingit*». (5) Et hoc confirmat *Compraensorium*. *Catholicon* autem subiungit: «*Cedo* cum *ante* componitur, et dicitur *antededo*, et cum *abs*, *ad*, *con*, *de*, *dis*, *ex*, *in*, *inter*, *pro*, *prae*, *re*, *retro*, *sub* et *se*, fitque *abscedo*, *accedo*, *concedo*, *decedo*, *discedo*, *excedo*, *incedo*, quod est nobilium, *intercedo*, *procedo*, *praecedo*, *recedo*, *retrocedo*, *succedo* et *secedo*. (6) *Cedo* compositaque ab eo sunt neutra praeter *antededo*, *concedo*, *excedo* pro superare, *praecedo*que actiua. Item omnia sui simplicis litteraturam retinent, et simplex compositaque praeterita in *-cessi* supinaque in *-cessum* faciunt, producentia *-ce-* ubique. Sciendum autem quod per diuortium *discedimus*, per absentationem *abscedimus*, per singularitatem *secedimus*, per mortem *discedimus*. Vnde quidam *decedit moriens*, *discedit ab urbe recedens*.» (7) Et secundum Papiam per *-ae* diphthongon scribitur. *Caedo* uero, *ceci* penultima producta *cesum*que in supinis cum unico *-s-*, ferire, uerberare incidereque significat. Et cum *-am-* quod est *circum*, *-m-* propter *-c-* in *-n-* mutata, *abs*, *ab*, *con*, *de*, *dis*, *ex*, *in*, *inter*, *pro*, *prae*, *ob*, *sub* reque componitur, *-ae-* huius uerbi *caedo* in *-i-* quoque longa uersa, non modo in praesenti sed et in praeterito et supinis, ut *ancido*, *-is*, *ancidi*, *ancisum*, *abscido*, *accido*, *concido*, *decido*, *discido*, *excido*, *incido*, *intercido*, *procido*, *praecido*, *occido*, *succido*. (8) Et ubique haec syllaba *-ci-* producitur,

et *caedo* per *-ae-* diphthongon scribitur, licet propter usum una uocalis tam in sono quam scriptis taceatur, ut *Catholicon* attestatur, quod subiicit: «*Cedo, cedite* uerbum defectiuum et anormalum, id est dic, dicite». (9) Et a *cedo*, *-is* deriuatur, et est imperatiui modi numeri singularis secundaeque personae, *cedo*, *-s*, id est dicit, sed *cedite* numeri pluralis est, id est dicite. Terentius in *Eunucho* (162):

"Quid te ergo aliud sollicitat, cedo",

id est dic, et corripit *-ce-*, unde per *-e-* solum scribitur. (10) Sed *cedo*, *-is*, *cessi* et *caedo*, *-is*, *cecidi* *-e-* producit et proprie per *-ae-* diptongon scribi debent. Vnde quidam *caedo*, *cedo*, *caedo* tria sunt, quae per tria *cedo*. Et haec quo ad quantitatem differentia etiam per *Doctrinale*, capitulo X^o, confirmatur (10, 1.775).

[14] *Nubo*, quod antiquitus pro maritare actiuum erat, hodie neutrum passiuum est, proprie ad mulieres spectans, et post se datiuum regit, ut *nubo tibi*, id est maritor tibi, et *a te in nuptam ducor*; et *nubo* est tego et tunc uelut actiuum accusatiuum poscit. Vide supra plenius, libro 4^o, regula 58.

[15] *Dimitto* secundum Nonium (286) est permitto, in potestatem do, relinquo, do et mitto. De *cedo* et *dimitto* plene *Alfonsina* refert. *Catholicon* ait: «*Dimitto ex di mittoque* componitur. *Dimittere* est diuersis modis mittere uel in diuersas partes, et *dimittere* id est parcere, indulgere, condonare, differre, derelinquere». Quae *Compraensorio* confirmantur. (2) Laurentius Vallensis, libro 3^o, capitulo 49^o, eleganter ait: «*Dimitto te discedens*, id est relinquo; *dimitto te discedentem*, id est abire permitto; uel *dimitto te*, id est mitto. Inde *dimissi* legati dicuntur».

[16] *Incedere* secundum Seruium: «Proprie nobilium pesonarum est. Virgilius primo *Aeneidos* (1, 464):

"Ast ego quae diuum incedo regina Iouisque".»

Catholicon: «*Incedo*, *-is*, *incessi*, *incessum* ex *in cedoque* componitur. *Incedere* est ire proprieque nobilium, ut *incedo superbus*». Vide supra, in 3^a parte, ubi de nominatiui tractatur regimine. Laurentius Vallensis, ubi supra (3, 45): «*Incessit mihi cupiditas*, id est subiit; *incessit me ille*, id est offensurus me petit et accusat». (2) His possum adiungere quae Nicolaus Perottus in uerbis neutris tertii ordinis explicat: «*Caueo* inter actiua septimi ordinis connumerari potest, et eius passiuum *caueor* est, ut *caue tibi*, id est attende, nequid mali tibi accidat. Potest etiam cum ablatiuo mediante praepositione iungi, ut *caue ab illo*. Item cum accusatiuo, ut *caue illum*. Item cum alio uerbo, ut *caue cadas*, ubi notandum quod cum negatione et sine negatione eadem est significatio, ut *caue cadas* et *caue ne cadas*». Et hoc Laurentius libro 3^o, capitulo 31 dicit. (3) Consequenter Perotus ait (fol. g6r.): «*Seruius* et *inseruius* quomodo differunt? Illud necessitati est, hoc uoluptati. *Consulo*, *debeo*, *sapio* interdum post se etiam accusatiuum habent, ut *consulo tibi commodum tuum*, et *debeo tibi talentum*, et *carmina sapiunt demorsum unguem*, sed tunc *consulo* et *debeo* sunt actiua. (4) Sed *sapio* non est actiuum, cum figurata sit rara sit haec locutio *sapit mel*, hoc est habet saporem mellis, quemadmodum fit in quibusdam aliis uerbis actiuis, passiuus et neutris, ut *ille agit uxorem*, id est agendo repraesentat uxorem, et *uxor temulenta uomuit maritum*, id est uomitu sparsit maritum, et *tu uiuis bacchanalia*, id est uiuendo exerces bacchanalia. (5) *Sonas asinum*, id est sonando refert asinum, et *epistula redolet antiquitatem*, id est bene olendo repraesentat antiquitatem. Ad haec dicunt aliqui *expuisti me*, *exibilasti me*, *execrasti me*, id est expuendo, exsibilando, execrando derisisti me. (6) *Vaco* si datiuo iungitur do operam significat, ut *uaco litteris*. Si uero ablatiuorum contrarium dicit, ut *uaco numis*, id est careo. Si absolute ponatur, *uacare* interdum superfluum esse significat, ut *carmina uacant*, id est abundant et superflua sunt; interdum commodum et ocium esse, ut (Verg. *Aen.* 4, 78)

"Si uacat nostros audire labores",

id est si commodum, si ocium est». Ad hoc Laurentium libro V^o, capitulo 85 uide».

CVI. De participiis.

[1] 237. Verba quaedam contra naturam suam participium habent praeteriti, quod aliquando solam significat actionem, ut *prandeo* neutrum participium *pransus* admittit. *Ceno*, *cenatus*; *iuuro*, *iuratus*; *careo*, *cassus*; *pateo*, *passus*; *titubo*, *titubatus*. Praeterea multa similiter praeteriti participia de uerbis neutralibus a uetustissimis sunt prolata, ut *assuesco*, *assuetus*, quod quibusdam magis nomen esse uidetur, ut de *quiesco* *quietus* dicitur. (2) Item *decreasco*, *decretus*; *discedo*, *discessus*; *intereo*, *interitus*; *mereo*, *meritus*; *obeo*, *obitus*, *-a*, *-um*; *occido*, *ocusus*, *-a*, *-um*; *poto* *potus*, ut *iuratus*; *placeo*, *placitus*; *senesco*, *senectus*, *-a*, *um*, ut haec omnia a Prisciano IX^o maioris, carta penultima, de huiusmodi uerbis explicante; et X^o, carta V^a, ubi de supinis de *ca* et XI^o, carta IIII et VI roborantur. (3) Qui etiam in hac carta VI (9, 49): dicit: «Cenatus est qui cenauit et

qui cenauit cenatus est, et sic praeteriti participium solam actionem notat». Hic autem in 9^o, carta refert penultima: «Terentius in *Ecyra* (138-39):

"Quid agis? cum uirgine una adolescens cubuerit
Plus potus",

actiue. Hoc tamen Iuuenalis passiuè protulit in IIII^o (4, 10):

"Potaque flumina in aedo

Prandente";

sicut *iuratus*, quam passiuè profertur. Cicero», et cetera. (4) Idem Priscianus in X^o, carta V, sic ait (10, 20): «Nec mirum, cum in aliis quoque plurimis eiusdem significationis uerbis inueniantur ueteres praeteriti temporis participia proferentes, ut *prandeo, pransus; ceno, cenatus; placeo, placitus; mero, meritus; pateo, passus; careo, casus; potu, potus* pro *potatus, titubo, titubatus; iuro* quoque *iuratus*, tam in actiua quam in passiuè inuenitur significatione, et haec quidem etiam in usu iunioribus manserunt. Illa uero absoluerunt *discedo, discessus*, hoc est qui discedit. Similiter *intereo, interitus; occido, occisus*; sed eorum usus in libro qui erit scriptus de participio a nobis inuenies». (5) Idem in XI, carta 4^a (11, 27-ss.): «A neutro passiuè *gauisu, gauisus; factu, factus*. A neutris uero paucis praeteritum nascitur, ut *cenatu, cenatus; pransu, pransus; placitu, placitus; nuptu, nuptus*. Et paulo post: «A *potu, potus; a cassu, cassus*», ubi addit: «Quod hoc idem *cassus* magis nomen uidetur esse, ut *lassus*». (6) Haec Nicolaus Perottus in neutris tertii ordinis sic explanat (fol. 6^{br}): «*Placeo* quomodo facit praeteritum? *placui* et *placitus sum*. Sicut etiam pleraque alia neutra: *iuro, iurauit* et *iuratus sum; prandeo, prandi* et *pransus sum; ceno, cenauit* et *cenatus sum; careo, carui* et *cassus sum, pateo, patui* et *passus sum, titubo, titubauit* et *titubatus sum, potu, potatui* et *potatus sum; potus* tamen, *cenatus* et *iuratus* aliquando passiuè capiuntur, ut *epoto medigamenti efflauit animum* et *iuratus discessit* et *it incenatus cubitum*. (7) De his plenius dissero supra, libro 4^o, regula 168, et in regula sequenti de *coepi, coeptus, odi, noui, osus*, ex quo *perosus* ex *exosus* et *osor* et *notus* et de *memini, meminens*, de *dignus, mactus, praescius* quod cum genitiuo et accusatiuo, sed figurate, potest construi. (8) Et in 170 regula de participiis in passiuè uoce actionem in actiua passionem notantibus, priora sunt: *circumspectus, consideratus, coniuratus, conspiratus, disertus, cautus, tutus, ignotus, argutus, falsus, contentus, tacitus, profusus, fluxus, scitus, discretus, excretus, exoletus, adultus, defectus*, qui deficit. (9) Altera passiuè significantia in uoce actiua sunt: *euidens*, id est quod aperte uidetur, non quod uidet et intelligit; *indulgentior*, non qui aliis indulget, sed cui alii indulgeant; *honorificentissimos, magnificentissimos, munificentissimos ludos* cum dicimus in participio praesentis temporis significare uidemur passionem. (10) A *facio* uero composita ibi, ut *magnificus, munificus, honorificus*, tam actiue quam passiuè significant, ut *magnificum hominem* et *opus* uocitamus, illum quidem magnanimitè facientem, hoc uero factum magnanimitè. (11) Et communiter ibi dicitur quod pro hac alternatione confirmanda uarietateque contra regulas inuenta communes Priscianus faciat in VIII, ponens (8, 15): «Veteres multa ex deponentibus in significatione tam actiua quam passiuè protulisse et maxime quae apud Graecos actiuam et passiuam habent: *auxilior te* et *a te* Similiter *admirator, auguror, adhortor, auspicator, adipiscor, abominor, consequor*, et cetera». (12) Posthac de deponentibus passiuè examinat deque actiuè pro passiuè. Deinde de passiuè pro actiuè econtrario. Et iterum de passiuè pro actiuè. Vterius de his quae apud ueteres in *-o* terminantur, nunc uero in *-or*, et econtrario; et de his quae actiua passiuè uoce unam significationem habent. Tandem de his quae in compositione significationem genusque permutent. Porro Priscianus ibi ex XI (11, 29) adducitur inquite multa ex uerbis deponentibus participia significationis actiuae passiuè apud antiquissimos inueniri, ut *meditor, meditatus; auxilior, auxiliatus; eloquor, elocutus*. (13) Deinde in regula 171 refero participia in *-ens* terminata, quorum quaedam in nomina substantiua transeunt generis masculini, feminini uel neutri. Posthac in regula 172 participia praeteriti temporis aliquando in nomina transire adiectiua, quae nomina participialia seu uerbalia nuncupantur. Insuper in 173 multa esse participia quae propter compositionem in nomina transeant, ut *doctificus, iusiurandum, iurisiurandum, iurisconsultus* et similia. (14) Item in 174 quicumque sine uerbis formam participiorum habent, significatione temporali carere et nomina esse dicenda. Praeterea in 175 multa formam participiorum habentia nomina participiaque esse posse. Tandem participium actiuum futuri temporis, ut passiuum eiusdem temporis, scilicet *amandus* dignus amari, in nomen transire, et hoc in 176 regula et in sequenti de *repetandarum repetundisque* pecuniis. (15) Quae quidem omnia ex Prisciano 8^o, 9^o, X, XIque maioris et ex meo *Elegantiarum breuiario*, libro I, capitulo 32, 33, 34, 35 et 36, et libro 6, capitulo XVI et sequentibus, cum additamentis suis excerpti. Et haec omnia hic pro repetitis habeantur, cum regulis ibi ad libri finem consequentibus. Nam in quantum per se considerantur singulatim ad eum quartum librum spectant, sed ad hunc prout in constructione pensantur. (16) Nec hic uidere

praetermittas quae Nicolaus Perottus in capitulo de participio tam primo quam secundo refert. Praesertim in 2^o et ibi (fol. i5u.): «Participium in *-ans* uel in *-ens* praesentis et praeteriti imperfecti temporis est, et descendit a uerbo actiuo, neutro et communi in significatione actiua et deponenti». (17) Et infra: «In *-tus, -sus* et *-xus* et *-uus* participia temporis sunt praeteriti perfecti et plusquamperfecti nascunturque ab omnibus uerbis habentibus praeteritum per suppletionem, hoc est per *sum, es, est* et participium uerbi». (18) Et infra: «In *-dus* participia nascuntur a passiuo tantum et communi in significatione passiuua. His autem non utimur, in ablatiuo absolute, sed tantum cum uerbo copulatiuo, unde plerunque nomen esse uidetur: *cum legendus a praeceptore et a nobis audiendus sit, Virgilius audiendus est diligenter*». (19) Et infra: «Saepe etiam huic participio adiungimus datiuum pro ablatiuo: *nactus hominem mihi amandum colendumque cogit, quibus uerbis utendum sit*». Et infra: «*In euoluendis ac perlegendis libris multa discuntur*, quanquam haec gerundia potius sunt quam participia». Et infra: «Ab impersonalibus fiuntne participia? Minime, nisi *pertaesus a taedo*, quo utitur Suetonius (*ul.* 7, 1): "*Pertaesus ignauiam suam*". Nam *puerendus, pigendus, carendus, dolendus* et similia nomina potius dicenda sunt, uel participia abusiue».

[2] 238 regula est igitur. Cum quocunque uerbum construitur. Cum eodem eius participium construatur, si participii significatio sui uerbi generi concordarit. Nec abs re cum *quocunque* sine *casu* dixi, ut non modo causalia, sed et infinitiua aduerbiaque comprehendam, ut *ego sum studiosus multisque prosum* et *ego ens studiosus multis prosum, colo deum et proficio, et colens deum proficio, deficio tibi, tibi sum defectus, cenauit carnes, carnes sum cenatus, uolo studiose legere, legere studiose uolens*. (2) Deinde notanter dixi *si participii significatio sui uerbi generi concordarit*, nam si discordaret, regula non teneretur. Haec autem discordantia dupliciter esse potest, quippe uel in toto uel in parte: in toto quando in nominis uim transit participium, ut *amans uirtutis, colens dei*. Tunc enim aliquam uerbi constructionem non retinet. In parte, ut in participiis a uerbis communibus profluentibus palam est. (3) Siquidem participium praesentis temporis futurique in *-rus* partem significationis uerbi ueluti significationem actiuam retinet. Ideo partem constructionis, puta regimen accusatiui, ut *largiens uel largiturus panem*, sicut *largior panem*, sed non dicitur *largiens* uel *largiturus ab illo*, ut *largior ab illo*. Quandoquidem passiuam significationem non habent. Ideo nec constructionem ratione passionis habere possunt. (4) De participii futuri temporis in *-dus* terminatis per contrarium dici debet. Cum enim passionem tantum significant, duntaxat constructionem passiuam habere debent, ut *largiendus ab illo*, sed nunquam *largiendus illum*. Participium uero praeteriti temporis utranque significationem: actiuam scilicet et passiuam retinet. Igitur utranque constructionem obseruabit, ut *largitus te* uel *a te*. Et ratio est quia commune uerbum praeteritum non habet, sed praeteriti circumlocutione. (5) Itaque sicut praeteritum communis significationis esset, si fuisset ibi, sic et eius circumloquium. Et huiusmodi est temporis praeteriti participium, quare utranque significationem constructionemque retinuit, sed antedicta de constructione a parte post intelligenda sunt, quia uerbum personale nominatiuum a parte ante petit, quem participium habere nequit. (6) Causa uero quare uerbum ratione suppositi nominatiuum exigit, quem participium non admittit, est quia licet participium actum quoque significet, non tamen eodem modo. Verbum nanque agere uel pati significat per modum distantis a substantia, id est per modum appositum. Ideoque substantiam ab extra sibi supponentem requirit. (7) Participium uero actum uel passionem substantiae coniunctam sinat, et ob id substantia supponente non eget, quippecum participium in se nominatiuum habeat, quem uerbum ab extra flagitat.

[3] Ad pleniorum huius regulae materiaeque participiorum intelligentiam Priscianum XI maioris adduco sic dicentem, in principio (11, 8) «Participium est pars orationis quae pro uerbo accipitur, ex quo et deriuatur, naturaliter genus et casum habens ad similitudinem nominis et accidentia uerbo absque discretionem personarum et modorum». (2) Et infra: «Et quamuis ab indicatiuis deriuantur uerbis participia, potestate tamen et ui significationis omnes continent modos. Hoc pacto: *exponens doce* pro *expone et doce, utinam exponens docerem* pro *utinam exponerem et docerem; cum exponens doceam* pro *cum exponam et doceam; exponens docere uolo* pro *exponere et docere uolo*. Ergo eius uim obtinet modi cuius uerbo coniungitur. (3) Et in hoc quoque quantam habeat cum infinitiuo coniunctionem ostenditur. Infinitiua enim simpliciter, cum ab indicatiuo nascuntur, pro omni accipiuntur modo. Dico enim *scribere me indico* pro *scribo; scribo te impari* pro *scribe, scribere me opto* pro *uti scriberam; scribere me uolo, tum legere* pro *cum scribam uolo legere*. (4) Igitur participium inuentum est ut in nominatiuo quidem sine coniunctione proferatur cum alio uerbo, ut *legens doceo* pro *lego et doceo*, quae compositio intransitiua est. Hoc est ipsa in se ostendit manere persona. Obliqui uero casus participiorum ad hoc sunt utiles: quod non solum sine coniunctione proferuntur, cum obliquis casibus nominum, sed etiam ad alias transeunt personas, ut

docentis potior et docenti respondeo et docentem audio et illo docente didici (5) Ergo et inter uocatiuus intransitiuus solet esse, ut *legens ego homo facio* pro *lego homo et facio*. Et similiter uocatiuus *o homo bene legens fac*, id est *o homo bene lege et fac*. Ceteri uero magis transitiui sunt, ut praedictum est, ut *bellantis hominis misereor* pro *bellat homo et misereor eius*, et cetera, nisi si ipsa in sese faciat. (6) Tunc enim utimur consuetudine transitiuorum, quae allopathiam¹ significat, ut *misereor mei legentis*, et cetera. Et ad eum casum maxime iunguntur participia quem uerba desiderant, *misereor tui, miserens tui, dignor te illa re, dignans illa re*.

[4] Idem in eodem, carta 3^a (11, 15): «Tempora coniuncta habent praesentis et praeteriti imperfecti, praeteriti perfecti et plusquamperfecti tam participia quam infinita uerba ad similitudinem optatiuorum».

[5] Idem in eodem, carta 6^a, ubi de temporibus (11, 25): «Tempora participiis accidunt eadem quae et uerbis infinitis, id est praesens, quod est etiam praeteritum imperfectum, ut *osculari et osculans*; praeteritum plusquamperfectum, ut *osculatum esse uel fuisse et osculatus*; futuro *osculatum iri et osculaturus*. (2) Et sciendum quod non ex omni significatione omnia tempora inueniuntur. Nam cum quinque sint significationes, id est actiua, passiuua, neutra, communis, deponens, ab actiua quidem et neutra praesentis et futuri ueniunt participia, ut *amans, amaturus*, in quibus quia praeteritum deficit, loco participii uerbi utimur et nomine infinito, ut *qui amauit*». (3) Et infra: «Passiuum quoque praeteritum et futurum habet *amatus, amandus*. In praesenti autem deficit, pro quo similiter uerbum cum praedicto nomine proferimus dicentes *qui amatur*. Ex quo quoque ostenditur significatio participii, quod tam nominis quam uerbi uim obtinet, quod et hoc pro illis et illis pro hoc utimur. Dicimus enim *legens est qui legit et qui legit est legens; cenatus est qui cenauit et qui cenauit cenatus est*. (4) Illud quoque sciendum, quod saepe et praesenti pro praeterito et praeterito pro praesenti utuntur auctores necessitatis causa, cum deficient et in *-or* desinentia praesenti, et in *-o* terminantia praeterito. Praesentis tamen participium quod etiam praeteritum imperfectum significat, solet coniungi uerbis praeteriti perfecti et plusquamperfecti et significationem eorundem temporum complere, quomodo uerba praesentis temporis, si adiungantur participiis praeteriti, praeteritum significant, ut *cenatus sum, cenatus es, cenatus est* pro *cenauit, cenauisti, cenauit*. Sic ergo si dicamus *cenans fui, fuisti, fuit* pro *cenauit, cenauisti, cenauit*; *cenatus fueram, fueras, fuerat* pro *cenaueram, -as, -at* potest accipi.

»[6] Itaque quod deest latinitatis linguae naturaliter, completur iuncturae ratione. Multa tamen in his quoque, quae regula exigit dici, seu euphoniae causa deficient, seu in usu non sunt. Sicut et in aliis partibus orationis. A neutris, ut diximus, sicut ab actiuis, duum temporum participia ueniunt: praesentis, ut *stans*, futuri *staturus*. (2) Inueniuntur tamen quaedam ex eis etiam praeteriti temporis, ut *cenno, cenatus; prandeo, pransus; placeo, placitus; nubo, nupta; pateo, passus*, et *patior* tamen *passus* facit; *assuesco, assuetus*, quod quibusdam magis nomen esse uidetur; sicut *quiesco, quietus; iuro etiam iuratus*, quod et in passiuua significatione inuenitur, quippe etiam uerbum ipsum. (3) Addunt quidam etiam a *careo, casus*, quod si esse, deberet *cassurus* facere futurum, non *cariturus*, quod Iuuenalis profert in II^o (2, 6, 38-39):

"Tollere dulcem

Cogitat heredem cariturum turture magno",

ergo *cassus* magis nomen est, sicut *lassus*, et maxime cum uanum significat, ut *cassa fraude parat*; *titubo* quoque *titubatus* facit. (4) Et in aliis multis neutrorum praeteriti participii uetustissimi protulisse inueniuntur, ut *discessus, interitus, obitus, occasus, potus, senectus*.

»[7] Neutropassiuua, quae sunt quinque, trium temporum habent participia, ut *gaudeo, gaudens, gauisus, gauisurus; audeo, audens, ausus, ausurus; soleo, solens, solitus, soliturus; fio, fiens, factus, futurus*, differentiae causa ne si *facturus* diceremus, simile esset participio quod uenit a *facio* uerbo, quod uim actiuam possidet *fio* uerbi, unde a supino eius nascitur passiuum praeteriti participium et futurum actiuum *factum, factu, factus, facturus; fido* quoque *fidens, fisis et fisurus*. (2) A communi uerbo quattuor nascuntur participia: praesentis siue praeteriti imperfecti, quod actiuam solam significationem habet, ut *crimino, criminans*. Nec non praeteriti perfecti et plusquamperfecti, quod communem habet significationem, tam passiuam quam actiuam, ut *criminatus*. Futuri unum actiuum in *-rus* desinens, ut *criminaturus*, et unum passiuum in *-ndus*, ut *criminandus*. Omnia in *-dus* desinentia etiam nomina esse possunt, cum amittunt tempus, ut

¹ Glossa: Allopathia ab *allon* quod est *alienum* et *potos* quod est *passio*, inde *allopatia, -ae*. Vel graece haec *allopates -tes, ten*, id est aliena passio, quae ab alio fertur secundum *Graecismum*. Papias uero dicit: «Allopatia passio, ab alio in alium transiens». *Catholicon, Compraensorium* uero dicit: «*Allon* graece, *alienum* latine et *allopatiae, -ae* et *allopata res* est aliena passio uel quae ab alio inferri».

amandus, legendus. (3) A deponenti trium temporum ueniunt participia praesentis uel praeteriti imperfecti, ut *sequens*; praeteriti perfecti uel plusquamperfecti, ut *secutus*; futuri, ut *secuturus*. Multa ex huiusmodi uerbis inueniuntur apud antiquissimos participia praeteriti temporis tam actiuam quam passiuam significationem habentia, ut *meditor, meditatus; auxiliior, auxiliatus; adminiculator, adminiculatus.* (4) Sed sciendum quod uerbis quoque plurimis quae nunc in usu deponentia sunt, ueteres sicut communibus usi sunt, de quibus, cum de uerbo tractabamus, docuimus. A uerbo *sum*, quod est anormalum, ueteres praesentis temporis proferebant participium *ens*, unde componitur *potens*. Nam *futurus* magis a *fiō* uerbo uidetur nasci. Potest tamen etiam a *fui* esse existimari».

[8] Haec omnia Petrus Heliae in XI^o, carta IIII (Reilly 615), confirmat dicens de *ens* in fine quod: «Licet Prisciani tempore in usu non esset, nunc tamen frequenter satis eo utimur». (2) De participiis autem uerborum substantiuorum *sum* et *fiō*, et uerborum neutropassiuorum defectiuorum *odi, noui, coepi* meminitque Nicolaus Perottus in horum declinatione aliter sentit, qui ad usum se fert, sic inueniens (fol. e1r.): «Quot participia trahuntur ab hoc uerbo *sum*? Vnum: *ens*» Nam secundum eum gerundia *essendus, -a, -um* habet, sed supinis caret. (3) In *fiō* uero subiicit: «Gerundiis caret supina *factum, -tu*. Quot participia deriuantur ab hoc uerbo? Vnus: *factus, -a, -um*». Deinde in *gaudeo* sic concludit: «Quot participia deriuantur ab hoc uerbo? Duo: unum praesentis temporis, *gaudens*, et alterum futuri *gauisurus*». Denique in *memini*. «Gerundiis, supinis et participiis caret. Similiter declinantur *odi, odisti, odit, noui, nouisti, nouit, coepi, coepisti, coepit*».

[9] Idem Nicolaus paulo post (fol. e7r.), agens de participio cum commemoratione participiorum uerborum neutropassiuorum aliter sic inquit: «A uerbi neutro quot participia descendunt? Duo, sicut ab actiuo, nisi sint transitua, a quibus descendunt quattuor, ut *arans, araturus, aratus* et *arandus*. Sunt tamen aliqua neutra quae in usu tria habent participia et sunt haec: *cenans, cenatus, cenaturus; prandens, pransus, pransurus; placens, placitus, placiturus; nubens, nupta, nuptura; assuescens, assuetus, assueturus; quiescens, quietus, quieturus; carens, casus, cariturus, titubans, titubatus, titubaturus.* (2) Et neutropassia quandoque *gaudens, gauisus, gauisurus, audens, ausus, ausurus, solens, solitus, soliturus, fidens, fisus, fisurus, fiens, factus, futurus* differentiae causa, ne si *facturus* dicamus a *facio* esse uideatur. Sunt etiam alia: *patienes, passus, passurus, moerens, moestus, moesturus, licens, licitus, liciturus, tacens, tacitus, taciturus, iurans, iuratus, iuraturus*».

[10] Nec omittendum est quod Priscianus primo minoris, de ordine partium orationis, § *Participium etiam*, carta VI, tractans ait (17, 18): «Participium autem post uerbum opportune ponitur, ex quo etiam nascitur, sicut de uerbo tractantes ostendimus, eo quod translationes uerborum necessario fiebant in causales figuras cum generibus, quae eis accidunt, cum uerba non possunt consequentiam sui praestare, ut etiam per obliquos casus possent, et sine coniunctione copulari, ut *me legente proficio*, et *legens proficio*, pro *lego* et *proficio*. (2) Manifestum autem est quod ipsius quoque positio nominationis qua participium nominatum est, non bene seruaretur, nisi post nomen et uerbum poneretur participium, cum ex eis utriusque per conformationem pendens ea pars accipiatur, quomodo post masculinum et femininum eorum abnegatiuum neutrum». Nec *Catholicon* in tertia parte, capitulo *De participiis* cum duobus capitulis sequentibus uidere no postponas

[11] Idem Priscianus in 2^o minoris, § *Ab infinitiuo*, ubi de infinitiu constructione docet, uersiculo *Participiorum*, carta 8^a, ait (18, 41): «Participiorum autem accusatiui frequenter pro infinitis uerbis ponuntur, ut Salustius in 2^o *Historiarum* (5, 17): "Celebritate nominis te lego timentem" pro *timere* et (ibid. 5, 18): "Video ingentia bona quaesita properantem", pro *properare*. (2) Ablatiui quoque eorum pro infinitis, ut in *Catilinario* (1, 6): "Nam et priusquam incipias, consulto, ut ubi consulueris, mature facto opus est", pro *consulere* et *facere*. Graeco similiter more infinita pro gerundiui genitiuo casu proferuntur». (3) Et infra. «Nominatiuis quoque adiectiuorum et obliquis eorum pulcherima figura adiungitur infinitum, ut *fortis bellare, prudens intelligere, sapiens prouidere, peritus docere*, et similia. Oratius in 1^o *Carminum* (1, 15, 18-19):

"Et celerem sequi

Aiacem".»

(4) Et in his Prisciani locis Petrus Heliae et expositor antiquus et modernus uideantur. Quibus *Doctrinale* in fine octaui potest adiungi (8, 1.356-68):

«Participans quod in *-ans* uel in *-ens* fit dictio praesens
-tus uel *-sus* dat praeteritum, *-rus -dusque* futurum,
 Quaere per actiua praesens in *-rusque* futura.
 Quae dabit actiuum dabit haec eadem tibi neutrum.

Sunt per passiuā tibi cetera significanda.
 Deponens tibi terna dabit, commune quaterna.
 Lex tamen est talis: quae caruere supinis
 Non possunt recte per *-rus* formare futurum,
 In uerbi genere quae significatio quaere
 Hinc tibi multimodum credas regimen reserandum,
 dum mutat regimen, fit participans tibi nomen,
 Dum tempus perdit, dum comparat, associamus
 Istis compositum; dum simplex fiet tibi uerbum».

(5) Ad horum trium uersuum postremorum confirmationem, Priscianum II^o maioris, post principium notaueris, sic dicentem (18, 34): «Sed quando comparantur participia, transeunt in nominum significationem». (6) Idem in XI, circa finem cartae 7, subiicit (11, 39): «Si participia uerborum seruauerint consequentiam, participia sunt, sin amissis temporibus casus quoque, quos solent nomina uerbalia sequi, attrahant, transeunt in ea, ut *amans autem illius nomen*, ut *amator illius*. (7) Itaque et tempus amittit et comparisonem assumit, ut *amans*, *amantior*, *amantissimus*. *Acceptus ab illo* participium est, quia *accipior ab illo* dicimus; *acceptus illi* nomen est, ut *amicus mihi*. Ideoque tempore quidem caret, comparisonem uero asciscit, ut *accipior*, *acceptissimus*». (8) Idem in eodem, carta VI, scilicet paulo ante, ubi de figuris, dicit (11, 31): «Figuras habent quas a uerbis accipiunt, nam per se nunquam componitur participium, nisi prius uerbum eius componatur, ut *efficio*, *efficiens*, *intelligo*, *intelligens*. Si enim ipsa per se componantur, non prius a uerbis compositis, transeunt in nominum uim, sicut etiam si comparentur, *nocens*, *ignocens*, *sapiens*, *insipiens*. (9) Simplicia enim eorum possunt et participia esse et nomina. Composita uero sine dubio nomina sunt. Ideo autem addidimus plerumque quod sunt quaedam quae non seruant compositionis uerborum compaginem, unde apparet ex se composita, ut *effringi*, *effractus*, *contingor*, *contactus* et similia. *Indulgens*, *amans*, *acceptus*, si comparentur, nomina sunt: *indulgentior*, *amantior*, *accipior*; sic et his similia». (10) Nec praetereas quod *Doctrinale* in noni principio super infiniti constructione dicit (9, 1.397-1.406):

«Infinitium personae siue quibusdam
 Des adiectiuis ut sunt *habilis*, *piger*, *aptus*.
 Hanc dum pluchram ueteres dixere figuram
 Verbaque sunt *debet*, *iubet*, *audet* uultque *potestque*
 Nititur et *tentat*, *dignatur* itemque *monetque*
 Incipit, et *taedet*, *piget* et *pudet* atque *meret*
 Et *properat*, *gaudet*, *delectat*, *poenitet*, *urget*,
 Et *parat* et *discit*, *debet* et *solet* et *licet*. Adde
 quae praedicta notant et quae contraria signant,
 Addere multa potest et quarto casu praeuente».

(11) Haec Priscianus 2^o minoris per antedicta confirmat adminiculantur hisce sequentia (18, 43): «Coniungitur infinitiuis frequentius uoluntariis uerbis, quae Graeci prohaeretica² uocant, ut *uolo legere*, *cupio discere*, *desidero uidere*. Inuenitur tamen saepissime cum aliis uerbis iunctum, Terentius in *Adelphis* (827):

"Video sapere, intelligere".

(12) Nec solum nominatiuis, sed etiam accusatiuis et ablatiuis casibus ad imitationem Graecorum auctores adiungunt infinita uerba, ut *cogitus est posse dicere et cogitum hunc seruum esse pauperis domini*. (13) Et infra (Prisc. 18, 43): «Significat autem infinitum ipsam rem quam continet uerbum. *Currere enim cursus*

² *Glossa*: Nullibi nec in *Catholicon* nec *Compraensorio* nec *Alfonsina* nec *Tortello* potui reperire, sed reor dici posse prohaeretica esse optatiuis seu electiuis uerba uel iuxta optatiua seu electiua, nam prohaeriticum a *pro* proprie sumpto uel a *pro* quod est *iuxta* componitur; haeresis autem secundum *Tortellum* in prima sola cum *-ae-* diphtongo scribitur, a nostris *optio* seu *electio* dici potest, nam deriuatur ab *hairomi*, quod est *opto* seu *eligo*, unde *aphaeresis*, quae a nostris dicitur *ablatio*, et *dihaeresis*, *diuisio*, et *sinhaeresis*, quae est diuersorum coniunctio. A non nullis uero *secta haeresis* ipsa traducitur. Cicero autem uocabulo graeco in *Paradoxis* utitur (pr. 2), cum ait: «Estque in ea haeresi quae nullum sequitur florem orationis».

est, et *scribere* scriptura et *legere* lectio. Itaque frequenter et nominibus adiunguntur et aliis causalibus more nominum, ut Persius (1, 28):

"Sed bonum est digito monstrari et dicier hoc est";

Terentius in *Adelphis* (608):

"Quapropter te ipsum purgare coram ipsi placabilius est";

et *bonum est legere* et *utile est currere* et *apertum est scribere*, *optimum est philosophare* (14) Quod cum aliis uocibus uerbi facere non possumus, ut nomen cum substantiuo uerbo, id est cum eis, id est aliis modis uerborum adiungamus significantes loco nominis ipsius rei has uoces nos accipere. Cum enim dco *bonum est legere*, nil aliud significo nisi bona est lectio. (15) Itaque apud Graecos etiam articulis adiungitur uerbum infinitum, more nominum. Cum autem sine *est* uel alio aliquo huiusmodi uerbo, id est substantiuo, proferam *bonum* uel *commodum* uel *utile* uel aliquid huius casuale, non ipsius uerbi qualitatem, sed illius rei, in quam fit actus uerbis significo, ut si dicam *bonum lego*, necesse est uel carmen uel opus uel tale aliquid intelligi. Nemo enim dicit *bonum est lego*, quomodo *bonum est legere*. (16) Et infra (Prisc. 18, 45): «Illud etiam in hoc modo contemplandum, quod uerbis praeceptiuis quibus datiuu adiunguntur, possumus et accusatiuos copulare infinitiuis sequentibus, ut *iubeo tibi currere* et *iubeo te currere*; *impero tibi proficisci* et *impero te proficisci*; *praecipio tibi legere* et *praecipio te legere*, sic et similia. Sciendum tamen quod hoc sensu frequenter inuenimus pro infinitiuo modo subiunctiuum poni, ut *iubeo facias*, *imparo uenias*, *hortor legas*. In quibus deest *ut*, quod licet addere uel no addere. (17) Verborum quoque omnibus modis et participiis possunt coniungi, ut *amo dicere*, *ama dicere*, *uti amarem discere*, *cum amauerim discere*, uel *didicissem amare*, *disce prodesse*, *amans discere*. Similiter *intelligo sentire*, *intellige sentire*, *uti intelligerem sentire*, *cum intellexerim sentire*, *intelligere filium cupio sentire*. Oratius in primo *Carminum* (2, 2, 19-20):

"Dedecet uti

Falsis uocibus".

Participio etiam: *uolo intelligens sentire*. Sic etiam omnia». Multa alia quae ad infinitiua uerba pertinentia non adiungo, cum supra, libro II^o, sub § *Ego quoque in capitulo sequenti*, uersiculo *Infinitiuus est*, conscripserim (supra 2, 42, 3).

[12] *Doctrinale* uero in eo capitulo IX^o consequenter ait (9, 1.407-409):

«Quae iungis uerbo iunges et participanti
Si generi uerbi sua significatio fiet consona
Debetur ipsi constructio uerbi».

(2) Nicolaus Perottus hoc confirmans in capitulo de participio, in 2^o, dicit (fol. i5r.): «Quos casus exigunt participia? Quos et uerba, ex quibus nascuntur. Verbi gratia: *ego dum incumbo litteris non desero negocia publica*, *incumbens litteris non desero negocia publica*; *ego qui amor a praeceptore meo amo ipsum*; *ego a praeceptore meo amatus amo ipsum*». Et tandem in hoc capitulo multa pulchra inuenies.

[13] Hic quaeri potest quae figura sit in ea locutione *fessus currere* uel *fortis pugnare*. Sed facilis est responsio: quod hic sit antiptosis. Infinitiuus enim pro gerundio primo uel ultimo collocatur, ut *fessus currere* pro *currendi*; *cupidus studere* pro *studendi*; *fortis pugnare* pro *ad pugnandum*. Et sic est nominatiui pro genitiuo accusatiuoue positio. Infinitiuus enim nominatiuus rei uerbi est. (2) Aliqui dicunt quod ibi sit eclipsis. Deficit enim *ad* praepositio, quippecum dicendum esset *fortis ad pugnare*, id est ad pugnandi actum. Tertia uero praeualit opinio, quod ibi synecdoche sit, quae pulchra figura hic dicitur, eo quod modica sit improprietas, cum talia adiectiua dispositionem ad agere uel pati inclinam, ut ad terminum suae dicant dependentiae. Cum autem infinitiuus talis dependentiae terminus esse possit, paruam improprietatem gignit. (3) Deinde inter primitiuum gerundiumque magna est conuenientia. Haec nanque duo idem significant, et in ratione termini se habere possunt, licet uarie. Infinitiuus enim sine praepositionis habitudine, gerundiuum uero cum ea. Vnde cum *fortis* uelut adiectiuum dispositionem ad agere teneat inclinam, talis propria erit locutio *fortis ad bellandum*, impropria uero cum infinitiuo. (4) Infinitiuus enim terminum sine habitudine praepositionis dicit. Toleratur tamen cum infinitiuus et gerundiuum idem significant. Item inter adiectiua quoque uerbaque uoluntaria est conuenientia. Siquidem omnia talia fieri uel dispositionem ad agere inclinam dicunt, licet differenter, nam uerba huiusmodi ad agere dependent id ut terminum respicientia. Ideoque proprie cum infinitiuo construuntur. (5) Adiectiua uero ad agere, ut ad terminum habent dependentiam, qua de re gerundiuum poscunt. Itaque haec locutio *Sortes est fortis ad bellandum* propria est dicenda. Nec officit si dicatur quod dispositionem casualis per comparisonem ad actum dicat praepositio, sed *fortis* nomen est. Nam praepositio casuale ad actum uel ad aliquid simile actui potest disponere. (6) Vnde sicut uerba uoluntaria

ad agere patique uelut ad terminum inclinatur, sic et *fortis* adiectiuaeque similia. Licet autem gerundium terminum respectu alterius actus dicat, tamen et respectu similis alicuius actui illum potest dicere. (7) Synecdoche uero iuxta Petri Heliae sententiam esse potest, cum dicitur *est fortis bellare*. Hic enim proprietas partis toti attribuitur. Et enim *fortis* totum, *bellare* uero partem significat, licet haec sint accidentalia. Fortitudo nanque est bellandi proprietas, quae quidem proprietas toti, scilicet forti, tribuitur. Cum igitur nihil aliud synecdochen gignat, bene poterit assignari. Haec tamen improbari posset expositio. (8) Talis enim pars multum remota uel separata est, sed alius modus, expositore Prisciani teste, dari potest. Sicut enim synecdoche dicitur, si pars pro toto ponatur, ita si partis proprietas toti attribuitur. Pars autem pro toto ponitur in constructione tali, nam gerundium includit infinitiuum cum articulo, et ita infinitiuus pars est gerundii, cum gerundium totum dicat, sed infinitiuus ibi pro gerundio ponitur, ut *fortis bellare* pro *fortis ad bellandum*, quare pars ibi pro toto surrogatur. Et ita synecdoche fit. (9) Improperitas de se nota est. Possibilitas est gerundii cum infinitiuo sicut partis cum toto conuenientia. Necessitas est expressio sententiae. Infinitiuus enim dependentiam siue dispositionem ad agere uel pati etiam per nomen adiectiuum importatam terminare potest, et ideo construi cum ipso talia nomina adiectiua possunt. (10) Vel dic quod necessitas est sententiae expressio. Quid enim, qui hoc dixit exprimere uoluit? Nempe nominis adiectiui dependentiam immediate per uerbum et sine habitudine praepositionis aliqua terminari. (11) De hac materia non modo per Prisciani commentatores 2^o minoris, § *Ab infinitiua*, sed et per *Doctrinalis* glosatores in IX^o habetur plenissime. Vbi Ioannes de Crocho in lectione *Infinitiuum personae* refert quod Robertus multum de hac figura loquatur, inter alia dicit quod ideo pulchra dicatur, quod parum ibi improprietatis sit, minus enim improprietatis habet quam aliqua alia synecdochica constructio. (12) Nomina uero substantiua dispositionem talem ad agere patie inclinatum non dicunt, quinimmo substantiam non dispositionem significant, quare cum infinitiuo minime construuntur.

[14] Licet autem infinitiuus, eo quod uerbum sit, supponere non possit, cum de alio dicatur, tamen in hac locutione *studere est commodum et iocundum* similibusque supponit. Hic enim cum infinitiuus rem ipsam uerbi significet, ut *studere* studium, sicut et *currere* cursum et *scribere* scripturam, modum per se stantis habet. Talis enim modus a substantia siue ab hac proprietate rei, quae, ut quaedam res est, considerari potest. (2) Infinitiuus igitur talem modum consideratione ipsa significans potest supponere. Tunc autem infinitiuus non est uerbum simpliciter, sed tenetur nominaliter. Sciendum autem quod et tunc infinitiuus accusatiuum a parte ante sed et a parte post hunc aliumue casum indubie possit regere, ut *me legere Bibliam est bonum deoque acceptum et te miseris humilium illum inseruire deo et istum abstinere a peccato sunt optima et plurimum collaudanda*, quamuis autem nullum suppositum regat. (3) Hoc tamen uerum est, si uere nomen sit, hic autem infinitiuus non sane nomen est, sed proprietatem nominalem habet. Cum enim dicitur *me legere Bibliam est bonum*, totum hoc *me legere Bibliam* est suppositum et hoc *est bonum* est appositum. Nec omitti debet quod et infinitiuus, in quantum supponat, possit genitiuum regere, agentis enim dicit habitum, ut *praedicare docti eloquentisque omnibus est iocundum*. (4) Infinitiuus enim, in quantum habitum talem dicit, cum sic naturam habeat nominalem, bene cum genitiuo construitur. Nam et participium nominis naturam habens genitiuum regit. Cum enim infinitiuus participiumque uerbalem uim retinent, et eius constructionem. Constructionem enim quancunque prima uerbi habet impositio, eandem totum eius condeclinum, seu quicquid ab eo descendit, postquam propriam illius naturam asciscit. (5) Infinitiuus autem uere nomen non est, sed supponens naturam nominalem condicionesque nominales, ut genus, numerum, casum huiusmodique habet. Participium uero, quando in nomen transit, reuera nomen est, quia et antequam nomen esset, proprietates habebat nominales, ut genus, numerum casumque. Ideo quando in nomen transit, uere dicitur esse nomen. Non ita de infinitiuo est, cum antequam supponeret aliquas tales dispositiones casuales non haberet. Iccirco si supponat tamen non uere nomen, sed uerbum nominaliter positum dici debet. (6) Tandem infinitiuus, cum supponit, potius neutri generis est quam alterius. Nam congrue dicitur *legere est bonum*, non autem *legere est bonus* uel *bona*. Et ratio potest assignari, quia neutrum genus per abnegationem discretionemque masculini femininique assumitur. Ideoque ad denotandum quod nec hoc nec illud habet, nec uere nomen est, per utriusque abnegatione, neutri generis esse accipitur. Et haec omnia per *Doctrinalis* doctores, in ea lectione *Infinitiuum personae*, confirmantur.

[15] Ceterum cum infinitiuus pro praeterito ponitur imperfecto, ei nominatiuus dari debet, ut multis auctorum in libris comperitur et Priscianus 2^o minoris § *Itaque apud Graecos*, attestatur (18, 48), et Laurentius Vallensis libro I sui *Antidoti* (1, 7, 2), super textu *Res primo prosperae ire*, confirmat hoc modo:

«Taceo, quod istud ipsum ego praecepi, debere nominatiuum dari huiusmodi infinitiuo, quod uim habet praeteriti imperfecti indicatiui, quod ante Priscianum Diomedemque ac ceteros grammaticos Quintilianus, quem prope ad uerbum teneo, de figuris uerborum tradiderat. Nonne plus decus isto loquendi modo in ipsis historiarum libris usus sum?» (2) Et haec refero in meo *Elegantiarum breuiario*, libro I, capitulo 27, ubi post Laurentium ostendens, ubi infinitiuus pro gerundiuo potius utendum sit, sic aio: «Quaedam orationes infinitiuum magis postulant, quaedam gerundiuo, quaedam utrunque. Adiectiua magis infinitum siue actiuum siue passiuum, substantiua gerundium, genitiui duntaxat casus: *tu es dignus habere opes*, et *tu es dignus honorari, tempus est gaudendi*. (3) Participia autem et multa adiectiua a uerbis descendentiā utranque formam sibi uendicant, sed participia iuncta infinitis dicuntur seruare uim participiorum, iuncta gerundiis uim nominum: *timens nauigare* et *nauigandi*. Enimuero secundum Seruium in VI *Egloga* (6, 20), *timidus* est qui semper timet, *timens* uero qui ad tempus formidat; *doctus, praestus, promptus, consuetus cantare et cantandi; timidus, cupidus, auidus nauigare et nauigandi*. (4) Et infra: «Cicero tamen (*Verr.* 1, 1, 41) ad uxorem nouo quodam modo locutus est: "Cum in animo haberem nauigandi", pro *nauigare*. Itaque subintelligatur *propositum* siue *uoluntas*, sicut in illo apud eundem (*Cinct.* 6): "Cum illius diei mihi uenit in mentem"; et alibi: "Non minus ei uenit in mentem potestatis quam equitatis tuae", ubi quidam uolunt accipi genitiuum pro nominatiuo, mihi potius placet subintelligi *conditio, status, qualitas illius diei tuae potestatis, tuae equitatis*, aut aliquid simile. Ita hic *propositum* siue *uoluntas*, ut sic: *cum haberem in animo propositum nauigandi*. (5) Venio nunc ad actum gerundii. Dicimus itaque *induxi te ad nauigandum*, non autem *nauigare*, nisi more Graecorum, qui, cum careant gerundio, funguntur infinitiuo cum articulo, raro sine eo, licet nunc quidam frequentissime utantur, ut *non ueni soluere, legem, sed adimplere*, plerique studiosorum dixissent *non ueni ad soluendam legem, sed ad implendam*, quos et nunc ipse imitor imitandosque omnibus arbitror, quam enim causam habes, ut alienam linguam sectaris, relinquo tuam, quanquam ne illam quidem sequaris, cum careas articulis quibus Graeci utuntur. (6) Sed ad rem uocauit te ad currendum, non currere, sto ad praedandum, sedo ad audiendum, uado ad uenandum, rursus iussi te arare, non ad arandum, cogito insidias, timeo aedificare. Quaedam uerba cum utroque conueniunt: *horror te studere et ad studendum, flagito respondere et ad respondendum; paratus, aptus, idoneus sum militare et ad militandum*, quae nomina rara sunt, nam pleraque huiusmodi accusatiuum postulent, ut *bonus, utilis, commodus, malus, inutilis, incommodus ad militandum*. Item secundum Seruium in 2^a *Egloga* (2, 43) figuratiue infinitiuus pro praesenti ponitur coniunctiue, ut *orat abducere*, id est *orat ut abducat, donat habere*, id est *donat ut habeat*».

[16] Consequenter in capitulo sequenti, de *fore, affore, defore, confore, profore* subiicio (cf. Valla *Eleg.* 1, 26): «Fore uocem quidem habet infinitiui, ut *esse*, significationem uero petit participii, quod est *futurum*, una cum infinitiuo *esse*. Idem est enim *fore* quod *futurum esse*, non tantum *esse*, licet *forem, fores, foret* idem sit quod *essem, esses, esset*. Quare cum nomine debet coniungi fere non cum participio, ne duo participia simul confundamus, *spero te amatorem uel amicum fore*, non autem *amaturum fore* sed tantum *amaturum*, ne uidearis hoc dicere *te futurum amaturum*, quod ratio non patitur, cum *futurum* superuacuum sit. (2) Idem de participio passiuo: *timeo te uerberandum fore*, satis erat *uerbarandum* uel adiuncto infinito *uerberandum esse*. Participia autem praesentis temporis et praeteriti uidentur communionis habere cum *fore*, quod ad futurum spectat, quam participia temporis futuri, tamen plus habent communionis. (3) Ibi enim ideo non conuenit, quia superuacua significatio est, quod hic non fit, eoque saepe cum istis coniunctum illud *fore* reperies. Sed ita si transeunt in nomen, alioquin non congruant diuersorum temporum eodem in loco participia, ut *spero te sapientem fore, credo me amantem tui fore, non te*. Seruat enim naturam nominis, non participii; *opinor te acceptum illis fore, non ab illis*. (4) Et infra: «Sic et participium passiuum futuri in nomen conuersum *fore* recipit, ut *spero hunc puerum admirandum uirum fore*, id est admirabilem. Composita autem a *fore* nulla controuersiam habent, quia fere ponuntur sine nomine et participio *affore*, ut Virgilius (*Aen.* 9, 243):

"Affore cernetis";

Stattius libro primo *Thebaidos* (*Stat. Silv.* 5, 1, 25) uidetur accipere pro significatione praesentis *defore*. Vt Marcus Tullius *Contra Rullum*: "Verum arbitrabantur non *defore*, qui illa restitueret". *Affore*, quod minus in usu est, unde dicuntur *abfuturi*. *Confere* et *perfore* apud comicos. *Profere*, ut Oratius (*Epist.* 1, 8, 11):

"Quae nocere, sequar, quae proferam credam",

id est *profutura esse*. Seruius tamen primo *Georgicarum* ait (1, 260): «*Fore* tantum semper est futuris temporis, nam *foret* et praesens et praeteritum et futurum complectitur". Salustius (*Cat.* 20, 2): "Fides utriusque uestra spectat mihi *foret*", id est *esset*».

[17] Cum autem *Doctrinale* in praecedenti lectione, *Construe sic casum*, et cetera, et ego hic in prima regula dixerimus, constructionem a uocatio, mox a nominatio communiter a uerbo personali inchoandam esse, quae quidem regula in ablatiuorum absolutorum ordinatione impedimentum recipiat, ad *Doctrinalis* imitationem subiiciendum puto.

[18] 239 igitur est regula, quod ablatiui positi absolute uario modo possunt ordinari, nam praeponi uel postponi in constructione possunt, sed uix in medio collocari. Causa uero est quare absoluti ablatiui sic ordinari possint, quia sunt a regimine absoluti, et ideo a nullo constructibili exiguntur, nec hoc modo uel illo dispositi coguntur. (2) Indifferenter igitur praeponi uel postponi possunt, sed in medio poni non debent, nisi constructionis impedimento subsistente, et hoc ne ab aliquo exigi et consequenter ab aliquo extremorum regi uideantur neue debitam constructibilium ordinationem interrumpant. (3) Ceterum cum ratione maiori praeponi putantur, cum per consequentiam uel concomitantiam designetur, quae causa eius, quod sequitur, esse uideatur, ut hic facile est cognitu: *sole super terram oriente, dies est*, ortus enim solis causa diei est. (4) Omnis autem causa secundum naturam suum effectum antecedit. Ideoque hanc naturam respiciendo tales ablatiui ratione praeponi debent. Quod si earum dictionum, in quas huiusmodi ablatiuorum sit resolutio, natura pensetur, ut per *quoniam, quia, dum, donec, uel postquam*, cum hae plerunque in oratione praecedant et quandoque postponantur, ablatiui ipsi indifferenter ordinari et praeponi etiamque postponi. (5) Vix autem interponi debent, quod tamen propter constructionis impedimentum fit necessario, ut *scholares studiosi, suo magistro legente, audientes proficiunt*. Et quandoque propter impedimentum ipsum necessaria est postpositio, ut *militis pugnant strenue, suo animoso duce bene regente eos*. Hic enim oportet ablatiuos absolutos postponi, ut *relatium suo* habeat, ad quod referatur. Est enim *relatium rei antelatae recordatium*. Non nunquam prorsus fit econtra, ut *magistro legente, sui scholares proficiunt*. (6) Ad haec confirmanda facit quod libro 2^o minoris, § *Similiter quando*, carta 3^a, Priscianus ait (18, 15): «Similiter quando consequentiam aliquarum rerum per gentium significant Graeci, huiuscemodi sensum nos per ablatiuum proferimus: *non me uiuo et in terra uideor?*» (7) Necessesse est huiuscemodi structurae siue nomen siue participium prolatum uerbo interpretari, dum aduerbio uel eandem uim habentibus addito. Virgilius in X^o (*Aen.* 7, 261-62):

"Non uobis rege Latino diuitis

Vobis agri Troiaeue opulenta deerit",

id est dum rex sum Latinus uel donec Latinus regnat. Licet enim nominatium pro ablatiuo et maxime nominum cum uerbo substantiuo ponere uel uerbum cognatum significationi ipsius nominis, ut *me doctore, florent Musae*, id est dum ego doctor sum. Nam participia raro sic proferuntur pro *me docente*, ut si dicam *dum ego sum docens*. (8) Verbum uero cognatum significationi ipsius nominis quod per ablatiuum profertur ponimus, ut *me doctore* id est dum ego doceo; *illo imperante* id est dum ille imperat; *pietate manente* id est dum pietas manet; *uirtute florente*, quoad uirtus floret». (9) Idem in eodem, in § *Similiter in conuenientiae significatione*, carta VI^a, subiungit (Prisc. 18, 30): «Similiter in conuenientiae significatione illi genitiuo, nos ablatiuo utimur tantum, ut *mei uidentis, puerum cecidisti* quod nos dicimus *me uidente, puerum cecidisti; Augusto imperatore, Alexandria prouincia est facta*, id est cum Augustus erat imperator; *Bruto defensore, liberata est tyranno res publica*, id est cum defensor eius fuerat Brutus; *Sylla uictore, perierunt Romani*, id est cum uictor fuerat Sylla. In hoc autem sensu, ut ostendimus, non licet uti genitiuo por ablatiuo». (10) Et in his locis scribentes uide. *Doctrinale* dicit in IX^o (9, 1.411-12):

«Aut ablatiui praeuunt rectore soluti

Aut postponuntur, sed uix interseris illos».

Et hic glosatores perlegendi sunt. Cum autem *Doctrinale* communiter ordinationem nominatiui a parte post doceat dubium remouendo, propterea quod superius dixerit, nominatium in construendo praeponendum esse, id quod et in regula prima dixi, regulam etiam super hoc subiiciendam putauit. (11) Et ita omnia *Doctrinalis* super constructione praecepta hic inueniuntur explanata, cum hoc solum sit reliquum.

[19] 240 est igitur regula, quod uerba substantiua, uocatiua et eorum uim habentia nominatium non modo a parte ante regunt, sed a parte post copulant. Copulatus autem nominatiuus nunc est nominis, ut *ego sum homo*, nunc est pronominis, ut in Ouidio (*Pont.* 1, 2, 34):

«Ego sum ille qui lapis esse uelim».

Priscianus tamen dicit (12, 4): «Neminem dicere *ego sum ego*, quod intellige, si pronomen simpliciter et infinite sumatur, secus si finitam demonstrationem faciat. Sic enim recte dicitur *ego sum ego*, nunc quoque

nominatiuus est participii, ut *ego sum amans*». (2) At si alius casus infinitum praecedat et sequens, saltem quoad casum, expressum collocabitur in eodem, ut *miserere tui uolentis esse clerici, parco tibi uolenti esse religioso, amo te uolentem esse doctorem, abstineo a te uolente esse discordiam diffusore*. Nam quo ad accusatiuum subintellectum casus sequens et accusatiuus esse debet, ut *miserere tui uolentis esse peccatorem*. (3) Hic enim *te* in infinitiuo ratione suppositi subintelligitur, propter quod et accusatiuus copulari debet. Verba uero substantiua tria sunt: *sum, fio et existo* sed uerba uocatiua quinque, ut *uocor, dicor, nominor, nuncupor et appello*, quae proprie cum nominatiuis nominum et non cum aliis construuntur, ut *ego uocor Ioannes Raimundus Ferrarii* uel *Ferrarius* secundum antiquos, secundum quos *Raimundus et Ferrarius* cum littera grossa in principio debent scribi, secus est secundum recentiorem morem. De eorum uim habentibus est exemplum *ordinor praesbiter, incedo iocundus, iaceo pronus, curro curuis, uideor studiosus*. (4) De hac materia plene per Priscianum Petrumque Heliae VIII^o maioris et primo 2^oque minoris, et per *Doctrinale* in principio octauo et in nono, ubi sic canit (9, 1.413-16):

«Appellans uerbum substantiuumque uel horum
uim retinentes, post se rectum quandoque locabunt
Est substantiui data significatio uerbis
Passiuis et saepe solet constructio tradi».

CVII. De impersonalibus.

[1] 241 regula. Quod praeter *interest, refert et est* pro *pertinet*, de quibus superius plene dixi, impersonalia uerba sunt quae nascuntur ex se, futuro tamen infinitiui carent, ut *poenitere, poenituisset, pudere, puduisse; pigere, piguisse*; quamuis antiqui *pudum ire* dixerint et *pudum* participium, ut Plautus in *Bacchidibus* (379):

«Neque me neque te tui intus pudum est factis quae facis»,

(2) ut et *metuere, metuisset; timere, timuisse; obedire, obedisse*, in infinitiui futuro deficiunt, et pleraque neutra coniugationis secundae: *horrere, horruisset; tepere, tepuisse* et similia. (3) Inchoatiua quoque et meditatiua non solum futuro sed etiam praeteritum perfecto, ut *horrescere, tepescere, parturire, esurire*. Necon perfecta uerba formam inchoatiuorum habentia, plerunque tale futurum non admittunt, ut *discere, didicisset; poscere, poposcisset; compescere, compescuisset*. (4) Plerunque dixi propter *pasco, pastum ire* faciens, ut haec omnia Priscianus in 8^o, ubi de uerbis defectiuis agit, iuncto Petro Heliae, praesertim in *pasco*, dicit (8, 86): «*Glisco* praeterito quoque perfecto uacat». Vnde *Doctrinale* dicit in V^o (5, 813):

«*Glisco* praeteritum *conquaexi* tolle supinum».

[2] 242. Impersonalia fere omnia uel a neutris deriuantur, ut *amo, amatur, sto, statur, misereor* antique *miseret*; similiter *placeo, placet*, sic antiquissimorum consuetudine a *poeniteo, poenitet, a taedo, taedet, a pigeo, piget, pudeo, pudet, liceo, licet, oporteo, oportet*. Fere dixi propter *interest et est* pro *pertinet*. Omniaque impersonalia uoces passiuorum tertiae personae habent, demptis antedictis aliisque paucis, ut *uenit, uacat, contingit, accidit, liquet*. (2) Sic Priscianus in eodem 8^o, circa finem, refert, qui in XI^o, carta V^a, dicit (11, 20): «Similiter impersonalia deficiunt in supinis participiisque quae ex supinis nascuntur, ut *piget, pudet, taedet*, quamuis quaedam *pudum* posuerunt, ut Plautus in *Bacchidibus* (379):

"Neque me neque te tui intus pudum est factis quae facis".

Taedet, poenitet, liquet, libet, licet, oportet. Sed compositum *pertaesum* inuenitur, et *poenitens*, unde *poenitentia*, et *libens et licens*, unde *licentia* et *licitus*. (3) Sciendum tamen quod haec omnia inueniuntur perfectorum declinationem habentia in usu ueterum, teste Capro, *pigeo, taedeo, pudeo, poenitē, liqueo, liceo, libeo, oporteo*, quomodo *placeo, contingo, uenio, uaco, attineo, accido, iuuo, delecto* quorum tertiae personae impersonalium uice funguntur. (4) *Placet, contingit, uenit, uacat, accidit, attinet* non tamen etsi participia deficiant, deficiunt et uerba, illa enim ex eis, non ista ex illis nascuntur».

[3] 243. Impersonalia uocis actiuae nec a uerbis perfectis uenientia eorum constructionem seruant, ut *iuuat me, quia iuuo te*, et *placet mihi, quia placeo tibi*. Cetera quoque datiuo coniunguntur, intransitiue quidem, ut *libet, uacat, licet mihi*. Exceptis his quae accusatiuum simul genitiuumque assumunt, accusatiuo significante personam in qua fit passio, genitiuo uero eam ex qua procedit actus, ut *poenitet, taedet, pudet, piget, miseret me illius*. Ita quod accusatiuus primus in constructione sit, et intransitiue regatur, genitiuus uero secundus, transitiue gubernatus. (2) Haec Priscianus primo minoris, § *Impersonalia*, uersiculo *Actiua*, carta 24^a, probat (17, 90), et 2^o minoris, circa medium, ubi de impersonalium constructione tractat (18, 52). Et *Doctrinale* in VIII^o, in datiuo regimine (8, 1.232-33):

«Contigit, euenit, accidit et placet adde datiuus.

Et *libet* atque *licet*, *liquet* et *uacat* additur istis».

(3) Et in accusatiui regimine (doctrinale 9, 1.257-59):

«*Poenitet* et *taedet*, *miseret*, *pudet* et *piget* ista

Accusatiuos sibi iungunt, et genitiuos.

Natura primum sed transitione secundum».

Et paulo post (9, 1.277):

«His iunges *iuuat* atque *deceat*, *delectat*, *oportet*».

Et hic expositores uideantur. (4) Nec hic Nicolaus Perottus praetermittendus est, qui in ordinis secundi impersonalibus loquens (fol. i2r.) de impersonalibus datiuum a parte ante et infinitiuum a parte post exigentibus commemorata a *Doctrinali* in regiminis datiu fine refert adiiciens: «*Conuenit*, *competit*, *expedit*, *patet*, *constat*, *sufficit*»; subindeque subiungit: «Haec omnia uerba et alia his similia, si nominatiuum et datiuum habent personalia sunt et declinantur per numeros et personas. Si infinitiuum et datiuum impersonalia.

»[4] Notandum autem quod dicimus recte *placet mihi me esse largum* et *placet mihi esse largus*. Qui modus reperitur etiam cum aliis uerbis, ut *puto te esse bonus amicus*. Lucanus in X (9, 1.307):

"Situmque putauit

Iam bonus esse socer";

et Ouidius (*Pont.* 1, 7, 6):

"Qui praeacor esse tuus";

Terentius (*Ad* 125):

"Hei mihi, pater esse disce ab his qui uera sciunt";

idem (*Andr.* 797):

"Qui sese inhoneste optatuit parare hic diuicias
quam in patria pauper uiuere".

(2) Hic modus loquendi e graeco fluxit, apud quos frequentissimus est, ut in sacris litteris (*Michael.* 6, 3): "Pater meus, quid feci tibi aut quid molestus fui responde", et (Psalm. 49, 7) "Attendite, popule meus, legem meam". Et Virgilius (*Aen.* 1, 664):

"Nam meae uires mea magna poscentia salus".

Nam haec nisi a graeco traheretur, dicerentur *popule mi* uel per nominatiuum cum pronomine, sic: *tu, populus meus, responde mihi*. Et subintelligitur *ens*, ut *defende me tu dominus*, hoc est tu ens dominus; *adiuua me, optime uir* et *adiuua me, tu optimus uir*, id est ens optimus uir». (3) Consequenter Perottus uerba tertii ordinis impersonalia posuit (fol. i2u.): «*Iuuat*, *oportet*, *deceat*, *delectat*. Quae si nominatiuum et accusatiuum habeant, personalia sunt, ut *consuetudo tua delectat me*, quamuis dicatur *ego delector consuetudine tua*. Si uero habent accusatiuum et infinitiuum impersonalia sunt. *Oportet* non reperitur in usu nisi impersonale; *deceat* apud Terentium et Plautum saepe cum datiuo reperitur, ut *nobis deceat esse bonis*. (4) Quae sunt uerba impersonalia quarti ordinis? Quae ante se accusatiuum habent personae patientis et post se infinitiuum uel genitiuum personae agentis, ut *me miseret calamitatis humanae*».

[5] 244. Impersonalia terminationem actiuam habentia infinitiuis copulantur, ut *placet dicere, libet dicere, oportet dicere, deceat, iuuat, delectat*. Accusatiuo simul et genitiuo, ut *poenitet me illius rei, miseret, pudet, taedet, piget*. Licet tamen per eclipsim datiu proferre: *placet me facere*. Vel etiam per eclipsim accusatiui *miseret, pudet proferre* licet. (2) Haec eadem et similia infinitiuis iuncta duntaxat accusatiuum addumunt, ut *pudet me dicere*. Terentius tamen in *Adelphis* nouo more secundum Graecos dixit (84-85):

«Quem non pudet

Quicquam»;

idem in eodem (753-54):

«Heu mihi,

Non te haec pudet?»

(3) Horum quinque impersonalium tria quidem habent praeteritum: *poenituit*, *puduit*, *piguit*; duo uero participia more neutropassiuorum, *misertum* et *pertaesum*, cuius simplex non est in usu, quamuis *taedium* dictum sit. Priscianus 2^o minoris, circa medium, § *Impersonalia autem* (4) Vbi in uersiculo *Debet quoque*, de ipso *debet* sic ait nobiliter (18, 53): «*Debet* quoque impersonale accipitur, quando infinitiuo passiuam uim habet, coniunctum tres circumit personas, cum maxime uerbum subiunctiuum consequitur, ut *debet fieri a me, a te, ab illo, ut auctores legantur*».

[6] *Catholicon* haec confirmat. Dicit enim in *miserereor*: «A *miser*, *miserereor*, *-eris*, *miseratus sum* dicitur. Et *misereri* est super alicuius miseriam condolare. Et componitur, et cum genitio datiuoque construitur, et quandoque, sed raro, cum accusatio in eodem sensu. Et praeteritum non habebat, unde *miseret* et *miseretur* impersonali. *Miseret* construitur cum accusatio et genitio, ut *miseret me tui*, similiter et *miseretur*, ut *me miseretur tui*, *me miseratum est tui*. (2) Et nota quod *miserere* eodem modo construebatur, quo *miserereor* secundum Hugutio. Et scias quod ista quinque uerba impersonalia construuntur cum accusatio et genitio: *poenitet*, *taedet*, *miseret*, *puget*, *piget*. Sed quando consturitur cum infinitiuis, tantum requirunt accusatiuum, ut *poenitet me peccare*. (3) Et haec quinque cum infinitiuis non adiunguntur, nisi impersonaliter. Et ratio est quia ille infinitiuus loco genitiui ponitur, ut *poenitet me peccare*, id est peccati. Ideo uerbo impersonali supponere non posset. Et haec opinio magistri Beneuentus fuit. (4) *Miserereor*, *-aris*, *-atus sum*, *miserari*, idem est quod *misereri*, sed *misereri* tantum cordis est, etsi subuenire non possumus, sed *miserari* ex opere comprobatur. Et construitur cum accusatio, ut *miseror te* id est signa et opus misericordiae tibi exhibeo, unde *hic* et *haec miserabilis* et *hoc miserabile*, id est dignum miseratione, quasi misericordiae uel miseria habilis, unde *miserabiliter* aduerbium et *haec miserabilitas*. (5) A *poena* dicitur *poeniteo*, *-es*, *-ui*, quia poena agit ut poenitamus. Vnde *poenitens* dicitur, quasi poenam tenere, et est ethimologia et cum genitio construitur, ut *poeniteo peccati*, unde *poenitet* impersonale cum accusatio construitur et genitio, ut *poenitet me peccati*, id est poenitentia peccati habet me, sed quando cum infinitiuo ponitur tantum accusatiuum requirit, ut *poenitet me peccare*. Et non potest nisi impersonaliter cum infinitiuo adiungi, quia ille infinitiuus ponitur loco genitiui, ut *poenitet me peccare*, id est peccati, et ideo non posset supponere uerbo impersonali. (6) Et idem intelligas de aliis impersonalibus, quae cum accusatiuis et genitiuis construitur, ut *taedet*, *miseret*, *puget* et *piget*. Et scribitur per *-ae-* diphtongom *poeniteo*, *-es*. *Pigeo*, *-es*, *-ui* dicebatur antiquitus, sed iam oboluit, unde *piget* impersonale, id est pudere, poenitere, grauare, offendere, quod uulgo dicitur *pesare* et construitur cum accusatio et genitio, ut *piget me tui*. Et corripit primam Ouidius *De remedio amoris* (80):

"Si piget, in primo limite fige pedem".

(7) *Pudeo*, *-es*, *-ui*, habere uerecundiam, sed non est in usu; unde *puget* impersonale, quod cum accusatio genitioque construitur, ut *puget me tui*. Et inde *puuens*, *-entis*, omni genere, et comparatur, et inde aduerbia. Et *haec pudentia*, *-ae*, id est uerecundia, et componitur *impudens*, id est non pudens, cui et pudor et pudicia procul abest. Et nota quod pudens opinionem ueram et falsam metuit, sed uerecundus non nisi ueram. (8) Et componitur cum *in impudens*, penultima corripit. Et a *puget*, *puuibundus*, *-a*, *-um*, id est uerecundus; unde *puuibunde* aduerbium. Et componitur *dispuget*, id est ualde pudet uel uariis modis pudet. Item *pudeo* componitur *depudeo*, *-es*, unde *depudet* impersonale, id est ualde pudere uel pudorem amittere; *perpudeo*, *-es*, perfecte uel ualde pudere; *praepudeo* est pro alis pudere; *propudeo* procul uel pro alio pudere; *repudeo*, *-es*, iterum pudere uel pudorem amittere. (9) *Pudeo* et *puget* neutra sunt, et faciunt praeteritum in *-ui*. Et cum omnibus suis compositis carent supinis, licet apud antiquos *puuidum* inueniatur. Quod autem prima corripit per Ouidium, *Epistularum* patet (*Her.* 4, 10):

"Quae puduit scribere iussit amor".

(10) *Taedo*, *-es*, *-ui* dicebatur antiquitus, sed modo non est in usu; id est fastidiri, indignari, anxiami, habere taedium; unde *taedet* impersonale et construitur cum accusatio et genitio, ut *taedet animam meam uitae meae*; unde *hoc taedium*, *-ii*. *Taedet* componitur *retaedet*, *distaedet*, id est ualde taedet. *Taedeo* et *taedet* cum suis compositis neutra sunt, et carent supinis. (12) Et producit hanc syllabam *-tae-* Ouidius (*Ars Am* 2, 530):

"Dedecet ingenuis taedia habere sui",

et cum *-ae-* diptongon scribi debet. Et scias quod *taedet* accipit pro praeterito *pertaesum est*, sicut enim *tollo* accipit *sustuli* a composito, ita *taedo* *pertaesum* a *pertaedo*. Et certum est quod saepe simplicia ponuntur pro compositis et econtra». (13) *Miseritudo* secundum Nonium (136) est miseria uel misericordia. *Miserari* uero et *misereri* his sensibus esse uoluerunt seu inter se distant, ut sit *miserari* flere ac lamentari, *misereri* autem misericordiam alienis casibus exhibere, et actio ad primum affectum, passio ad secundum. (14) Idem dicit Seruius allegans Virgilium in VI^o (*Aen.* 6, 475-76):

«Nec minus Aeneas casu percussus iniquo

Prosequitur lacrimis longe et miseratus euntem est».

Idem in II^o *Aeneidos* (2, 143-44):

«Miserere laborum

Tantum, miserere animi non digna ferentis».

(15) Item secundum Nonium (470) *misererent* pro *misererentur*: «Actius in *Athamante* (195):

"Atque ita de illis merui, ut haec nunquam misererent mala".

Miseretur pro miseret. Turpilius in *Epicleo* (55):

"Quem magis tunc patris me miseretur magis".

Miseritur pro miseret. At secundum Asconium Pedianum *miserum* pro innocente Tullius ponit *In Verrem* (?): «Et erunt qui illum, si hoc fecerit, non improbum sed miserum indicabunt». (16) Seruius autem dicit: iser, tristis ac flebilis. Virgilius (*Buc.* 3 27):

"Stridenti miserum stipula disperdere carmen".»

Poenitet secundum eundem Seruium: «Id est parum uidetur. Virgilius (*Buc.* 2, 34)

"Nec te poeniteat calamo tribuisse labellum",

et Terentius in 3^a comedia (*Heaut.* 72)

"Non quantum hic operis fiat poenitet",

hoc est parum uidetur. Virgilius primo *Aeneidos* (1, 548-49):

"Officio nec certasse priorem

Poeniteat".»

(17) *Poeniturus* secundum Nonium (158) reperitur: «Actius in *Epimapsimace* (312):

"Quod si procedit neque te neque quenquam arbitror

Poeniturus tuae laudis, quam ut serues, uide".»

(18) Nec Praetermittendum puto quod et *poeniteo* apud Oratium in I^o *Carminum* cum datiuo construitur (1, 33-34):

«Cur tibi iuniuor

Laesa poenitat fide?».

Vnde Priscianus quoque 2^o minoris, capitulo *Quoniam igitur e constructione uersiculo Pauca sunt*, carta V^a, ante libri finem, sic ait notabiliter (18, 130): «Pauca sunt quae actiua uoce transitiue solis datiuus adiunguntur, ut *noceo tibi, inuideo tibi, maledico, poeniteo, benedico*. Oratius in I^o *Carminum*:

"Cur tibi iuniuor

Laesa poenitat fide"

dissideo tibi.»

(19) *Pigere* secundum Festum Pompeium (213): «Interdum pro tardari, interdum pro poenitere poni solet». *Pigueratur* pro *piguerat*. Tullius *De re publica*, libro I^o (1, 8): «Sed ut plurimas aut maximas nostri animi, ingenii, consilii partes ipsa sibi ad utilitatem suam pigueratur». Secundum Seruium (*Aen.* 4, 336), secundum quem *puget* et *piget* hoc distant. *Pudere* enim uerecundiae est. *Pigere* poenitentiae. Plautus in *Pseudolo* (281-82):

"Nimis id quod pudet, facilis fertur, quam illud quod piget

Non dedisse istum pudet me, quia non accepi, piget".

Salustius in *Iugurthino* (95, 4): "Nam postea quae fecerit incertum habeo pudeat an pigeat dissesere".» (20) *Taedium* secundum Seruium est «Angor mentis et animi, non corporis ualitudo». Tandem *taedulus*, Festo Poempeio teste (360), est: «Fastidiosus siue qui omnibus est taedium». (21) Nicolaus Perottus, carta 69, dicit (fol. i3r.): «*Miserere* etiam reperitur huius ordinis, ut Terentius (*Heaut.* 1.026):

"Atque inopis miserescat mei",

et Virgilius (*Aen.* 2, 145):

"His lacrimis uitam damus et miserimus ultro".

Pudet, cuius compositum est *depudet*, aliquando personale reperitur, ut Terentius (*Ad.* 84):

"Quid ille fecit, quem neque pudet quiquam".

Piget quoque personale reperitur.

[7] 245. Noua est aliquorum impersonalium regendi ratio. Nam *coepit, potest, desinit* cum *poenitere, pigere, taederaque* coniuncta potius accusatiuum ratione suppositi infinitiuis ipsis quam nominatiuum ipsis uerbis indicatiui modi supponentem poscunt. Et sic ipsa uerba impersonaliter accipienda sunt. (2) Vnde Laurentius Vallensis et ego in meo *Elegantiarum breuiario*, libro III^o, capitulo L, sic scribimus: «*Coepit eum poenitere, posset te pigere, desinet me taedere saepius dicimus quam coepit ille poenitere, posses pigere, desinam taedere* Terentius *me pro a me misertum* dixit, ut (*Heaut.* 463):

"Me tuarum misertum est, Menedeme, fortunarum".»

(3) *Catholicon* in tertia parte, capitulo *De uerbis impersonalibus*, hoc confirmat (3, 91). Dicit enim ibi post principium, hoc modo: «Item scias quod sunt quaedam uerba impersonalia non simpliciter, sed ex adiuncto, quae sequuntur constructiones illorum uerborum impersonalium, quibus adiunguntur, scilicet

incipit, debet, solet, desinit, potest, ut Socratis incipit interesse legere, Socrati incipit placere legere, Socratem incipit decere legere, Socratem incipit poenitere peccare, a Socrate incipit legi. Et sic de similibus. Numeri XXI, taedere coepit populum itineris ac laboris. Ad hoc facit quod Priscianus libro 2^o minoris, § Impersonalia autem, uersiculo Debet quoque (18, 53), de ipso debet impersonali scribitur, supra in regula proxime praecedenti, in principio, reperies.